DE

LEONTIO BYZANTINO

Legerunt et probaverunt :

D. L. DUCHESNE, professor historiae ecclesiasticae.

R. P. DE LA BARRE, S. I., professor theologiae dogmaticae.

IMPRIMATUR :

M. D'HULST, Facultatis theologicae Decanus.

IMPRIMATUR :

A. FIAT, Sup. gen.

V. ERMONI, C. M.

DE

LEONTIO BYZANTINO

ET DE EIUS DOCTRINA CHRISTOLOGICA

TYPOGRAPHIA FIRMIN-DIDOT ET SOCIORUM

PARISIIS

—

1895

ILLUSTRISSIMO

M. D'HULST

PRAELATO DOMESTICO

RECTORI INSTITUTI CATHOLICI PARISIENSIS,
INSIGNI SACRARUM SCIENTIARUM CULTORI,
OPUS IPSUM, QUALECUMQUE EST,

D. D. D.

PRAEFATIO

Inter scriptores ecclesiasticos qui, saeculo VI, apud Orientales, cum genuina fidei interpretatione atque expositione, tum ardore et strenuitate pro eiusdem contra haereticos defensione, emicuere, haud sane infimum subsellium obtinet LEONTIUS Byzantinus. Dum enim acriter Ecclesia Orientalis tunc temporis dissensionibus ac discordiis ipsummet fidei attingentibus ordinem perturbaretur, simulque omnia quasi in detrimentum versarent, plurima revera necnon ardua aggressus est LEONTIUS, imo vel nihil, pro opibus suis, intentatum reliquit, ut pacem restitueret, unaque orthodoxae fidei iura serta atque integra servaret, eiusdemque insuper sortiretur triumphum. Contra duas potissimum factiones decertavit LEONTIUS Byzantinus, nimirum, MONOPHYSITAS et NESTORIANOS profligavit. Quocirca enixe

scriptis suis eo tandem spectat ut duplicem hanc hæresim, hinc inde serpentem, subvertat, et proin germanum dogmatis christologici conceptum et tueatur et rimetur. Ex quo fit postremo ut universa LEONTII theologia in explanatione dogmatis christologici detineatur.

Quæ cum ita se habeant, nemo utique non videt, quanti profecto sit momenti, pro historica dogmatis christologici evolutione rite prosequenda, ad scripta LEONTII Byzantini mentem convertere, eiusque doctrinam in lucem prodere. Maioris enim pretii utilitatisque erit prospicere atque simul contestari quomodo, decursu saeculi VI, tum orthodoxi tum haeretici dogma christologicum capiebant, atque exterius proponebant. Quo examine, singillatim ad LEONTIUM quod attinet, reperiemus reipsa, sive ipsamet *doctrina*, sive *argumentis*, quibus hanc fulcitur, eum, et ideo eius epocham propemodum cum hodiernis consentire theologis, adeo ut clare appareat intactam et puram perseverasse doctrinalem Ecclesiae traditionem. Cum LEONTIO eapropter universalem audiemus Ecclesiae de dogmate christologico sententiam.

His praevie delineatis, iam quod singularem in LEONTIO Byzantino animi attentionem meretur, quodque praeterea eum ad proprium evehit gloriae gradum, in hoc dubio procul consistit, quod

nempe primus omnium theologorum, principia philosophiae Aristotelis usurpaverit ad scientiam supernaturalem praeiacendam, evolvendam atque pertractandam. Quamobrem, ratione ordinis chronologici spectata, LEONTIUS merito dici et haberi debet ceu parens theologorum scholasticorum, quippe qui primus pressa Medii Aevi methodo usus sit in disciplinarum sacrarum explanatione. Porro luculenter constat ingressum philosophiae peripateticae in ambitum scientiae sacrae, eiusmodi esse eventum, qui studiosorum mentem excitare, et conamina promovere valeat. Hoc autem generatim dicatur. Speciatim vero congruentius videtur ut disquisitio de LEONTII Byzantini doctrina argumentum praeformet *singularis theseos* pro laurea Doctoratus in sacra theologia obtinenda.

Itaque, haec cum menti opponerem, peropportunum existimavi in praedefinitum scopum dissertationem exarare de LEONTIO Byzantino. Caeterum in idem propositum me firmavit, atque ad felicem incoepti exitum perduxit consilium prudentium atque Doctissimorum Facultatis theologicae Parisiensis Magistrorum, quibus aequum est ut grates rependantur.

Disquisitio autem haec in tres dividetur partes :

In prima agemus de ipso LEONTIO;

In secunda sermo erit de eius scriptis;

In tertia eius doctrinae christologicae prosequemur explanationem.

Nota. — In limine huiusce disputationis, semel profiteamur oportet, nos, quoad duas primas partes nostrae dissertationis, haud pauca excerpisse documenta ex opere Cl. LOOFS, cuius titulus est « LEONTIUS VON BYZANZ, *und die gleichnamigen Schriftsteller der griechischen Kirche,* » (Leipzig, 1887).

ELENCHUS THESIUM PROPUGNANDARUM.

I.

Praeter veritates, quae perviae sunt rationi humanae, dantur et aliae veritates quae eiusdem rationis captum absolute transcendunt.

II.

Revelatio, quae est absolute necessaria pro cognitione veritatum supernaturalium, est etiam moraliter necessaria quoad veritates ordinis naturalis.

III.

Deus est Ens summe atque infinite perfectum, ad cuius cognitionem pervenire nequimus nisi ex rebus creatis.

IV.

Deus cognoscit omnia obiecta, cuiuscumque naturae sint atque indolis.

V.

Praeterea Deus, voluntate antecedenti, vult salutem omnium hominum.

VI.

Rursus Deus ad omnes singulosque voluntatis humanae actus immediate concurrit. Ad naturam autem huiusce concursus quod attinet, arbitramur ipsum esse praevium et physicum.

VII.

Dantur in Divinis verae Processiones immanentes, ex quibus resultant proinde Relationes, quae Personas ipsas constituunt.

VIII.

Ratio vero cur Processio Filii sit proprie dicta Generatio, non autem Processio Spiritus Sancti, huc profecto venit quod nempe, cum fiat per actum intellectus, fit hoc ipso formaliter in similitudinem naturae.

IX.

Spiritus Sanctus non tantum a Patre, verum et a Filio procedit; ab utroque tamen tanquam ab uno principio.

X.

Revelatione Divina, ipsamet collustrante ratione, edocemur omnes res finitas ortum habuisse a Deo per creationem.

XI.

Porro, praeter res sive sensibiles duntaxat ac materiales, sive mixtas, quae visibilem hunc mundum componunt, existunt Entia altioris ordinis, omnino

simplicia, quae, usu traditionali et dogmatico, Angeli seu substantiae separatae nuncupantur.

XII.

Homo creatus in statu gratiae sanctificantis, donisque integritatis ornatus, a sua conditione decidit lapsu originali, qui fuit peccatum personae in Protoparentibus, in eorum autem posteris est peccatum naturae.

XIII.

Etsi ad factum quod adtinet, nunquam Status naturae purae extiterit, attamen nullatenus in dubium vocari quit ipsum fuisse possibilem.

XIV.

In omni statu Deus solus est ultimus finis hominis, et proin obiectum eius beatitudinis; ratio autem formalis eiusdem beatitudinis in visione Divinae Essentiae consistit.

XV.

In statu naturae lapsae, quamvis homo possit, absque auxilio gratiae, aliqua vera cognoscere et aliquod bonum naturale peragere, attamen absque eius auxilio nullum potest perficere bonum supernaturale, neque vitare peccata.

XVI.

Gratia, potissimum habitualis, in sua essentia spectata, nihil aliud est quam qualitas supernaturalis animae.

XVII.

Dantur gratiae revera efficaces.

XVIII.

Iustificatio impii est impossibilis absque gratiae infusione.

XIX.

Ad naturam iustificationis quod adtinet, asserimus ipsam esse renovationem interiorem.

XX.

Homo potest a Deo revera mereri. Attamen sine gratia nihil potest mereri in ordine supernatuli, speciatim vero vitam aeternam.

XXI.

Merita mortua proprie reviviscunt.

XXII.

In iustificatione una cum gratia infunduntur habitus infusi.

XXIII.

Obiectum materiale explicitum Fidei sunt omnes veritates a Deo revelatae, et, qua tales, ab Ecclesia propositae; obiectum autem formale est ipsamet veracitas Dei revelantis.

XXIV.

Probabilius videtur easdem veritates posse esse si-

mul, habita ratione diversorum motivorum, obiectum Fidei et scientiae.

XXV.

Obiectum materiale spei theologicae est vita aeterna; obiectum autem formale est Deus ut infallibilis in suis promissis.

XXVI.

Charitas est vera amicitia inter Deum et hominem.

XXVII.

Incarnatio, opus in se convenientissimum, fuit insuper necessaria ad reparationem generis humani.

XXVIII.

De intestina compositi theandrici ratione retinendum est ipsum fuisse unicam personam in duabus naturis, quarum quaelibet fruebatur propria voluntate propriaque operatione.

XXIX.

Quod si humana natura in Christo non erat persona, hoc provenit propterea quod formalitate positiva, nimirum, subsistentia, fuerat spoliata.

XXX.

Propter unitatem personae Verbi Incarnati, consequitur profecto Christum fuisse vere Filium naturalem Dei, et B. Mariam Virginem Matrem Dei.

XXXI.

Ad dogma catholicum pertinet B. Mariam Virginem

fuisse in primo instanti conceptionis ab omni labe originali immunem.

XXXII.

Christus ipse, ad sanctificationem generis humani, proprie dicta instituit sacramenta, quae sunt numero septem.

XXXIII.

Omnia porro novae Legis sacramenta necessario tribus constant, nimirum, materia, forma et ministro.

XXXIV.

Ex doctrina Ecclesiae explicite definita compertum est eadem novae Legis sacramenta gratiam ex opere operato producere.

XXXV.

Porro genuinus huiusce formulae dogmaticae conceptus haud consistere posse videtur, neque adaequate vis eiusmodi efficientiae explicari, nisi illa retineatur sententia, qua statuitur Sacramenta esse veras causas physicas productionis gratiae.

XXXVI.

Praeterea ex novae Legis sacramentis tria praeter gratiam sanctificantem, specialem producunt effectum, qui, ex usu traditionali, dicitur character, quique indelebilis est.

XXXVII.

Baptismus, saltem quodammodo, est sacramentum absolute necessarium ad assecutionem salutis.

XXXVIII.

Confirmatio est vere et proprie dictum sacramentum a baptismate distinctum.

XXXIX.

In SS. Eucharistiae sacramento continentur vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis D. N. J. C.

XL.

Christus autem praesens fit in SS. Eucharistiae sacramento per mirabilem illam conversionem totius substantiae in corpus et totius substantiae vini in sanguinem eius, quae conversio dicitur Transsubstantiatio.

XLI.

Ad complementum dogmatis Eucharistici credere oportet accidentia permanere in sua realitate obiectiva.

XLII.

In Eucharistia praeterea offertur Deo verum ac proprie dictum sacrificium.

XLIII.

Ecclesia pollet potestate remittendi peccata, quae potestas exercetur per modum iudicii.

XLIV.

Matrimonium, quod in veteri Lege erat tantum contractus naturalis, fuit a Christo in nova Lege ad dignitatem sacramenti evectum.

XLV.

In novo Foedere, ad rerum sacrarum qualecumque ministerium, septem recensentur Ordines.

XLVI.

Christus instituit Ecclesiam sub forma societatis perfectae, perenniter duraturae.

XLVII.

Cum vero eamdem Ecclesiam ceu obligatoriam instituerit, inde sequitur veritas effati : « Extra Ecclesiam non datur salus ».

XLVIII.

Romanus Pontifex, caput Ecclesiae visibile, loquens ex cathedra, est infallibilis.

XLIX.

Attenta autem interna Ecclesiae Christi constitutione, spectato insuper eius fine, consequitur profecto ipsam esse absolute independentem a potestate civili, imo et hanc Ecclesiae ipsi esse, saltem indirecte, subiectam.

L.

Animae iustorum, quibus nihil luendum superest, statim post mortem, visione fruuntur beatifica.

Ex typographia Firmin-Didot et Sociorum. — Parisiis.

PARS PRIMA — HISTORICA

DE PERSONA LEONTII

Non unus duntaxat, verum, prouti perspicue ex documentis constat historicis, plurimi revera circumferuntur atque renuntiantur viri qui nomine Leontii insigniti fuere. Ex quo, haud levis sane ponderis suboritur difficultas, quae nimirum crisim, cui natura sua demandatur, aliquantulum præpedit, cuiusque idcirco enodatio scientiae adnectitur progressui incrementoque, et a qua, eadem de causa, nonnihil valor huiusce dissertationis conclusionum pendet. Quisnam nimirum ex diversis, qui recensentur, viris, utpote nomine Leontii dignotis, fuerit ille de quo iamiam sumus vestigaturi, quique erit veluti totius nostrae explanationis obiectum atque argumentum. Quocirca, ita cum sit quaestio proposita, neminem sane fugit haudquaquam abs re esse, bene autem maximi pretii, ut, antequam christologicam Leontii expendamus doctrinam, quidquid ad ipsam auctoris personam pertinet

accurate, prout fas et congruens est, determinare adnitamur. Iam age : eiusmodi argumentum sponte quasi in duplex dispescitur quaesitum; imprimis enim conspectum ob oculos ponamus oportet omnium virorum ecclesiasticorum, aut aliorum, qui nomine LEONTII dignoscuntur. Deinde critico selectu definiamus quisnam, ex recensitis viris, sit LEONTIUS quo de agitur in nostra disquisitione. Huius rationis gratia, sit igitur :

CAPUT PRIMUM.

Recensentur viri qui nomine Leontii insigniti sunt.

Cum varia pervolvimus historiae ecclesiasticae monumenta, uno alterove documento innixi, plane comperimus viginti exstitisse decursu temporis viros, quibus LEONTII nomen fuit adscriptum. Hi propterea, quorum certam historia servavit memoriam, sunt :

1° LEONTIUS *episcopus Sozousiæ* (Λεόντιος ἐπίσκοπος Σωζούσης). Ita sane refertur in *rescripto* IOANNIS Ierosolymitani anni 518 (1). Hic idem omnino est ac LEONTIUS qui in « Libello Monachorum » anni 518 (2) dicitur « episcopus Leontius »;

2° Ita designatur Λεόντιος πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης τοῦ ἐν ὁσίοις Τρύφωνος. — Hic subscripsit « Libellum Monachorum » anni 518 (3).

3° Sic renuntiatur, Λεόντιος πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμαν-

(1) Cf. Mansi, VIII, 1074.
(2) Ibid., p. 1049.
(3) Ibid., p. 1054.

δρίτης μονῆς τοῦ ἁγίου ἀρχαγγέλου τοῦ ἐν τοῖς Πουσέου (1).

4° LEONTIUS diaconus sancti MARONIS. Hic subscripsit epistolam, quam monachi Syri in responsum misere, mense Februario anni 518, ad HORMISDAM Romanum episcopum (2).

5° Alium reperimus LEONTIUM, qui dignitate fruebatur *abbatis.* Huic enim scribit ENNODIUS Paduanus (✝ 521) qui nempe bis (an. 515 et an. 517) Constantinopolim, ut legatus, missus fuit (3).

6° LEONTIUS, filius MATRONIANI, diaconus, paulo ante an. 518 in ecclesiastica Apameae provincia notus (4).

7° Alter LEONTIUS diaconus (5).

8° Quidam LEONTIUS clericus (6).

9° Alter LEONTIUS item clericus (7).

10° Cuidam LEONTIO, quem vocat « sanctissimum, Deoque charissimum et Patrem », — ὃν ὁσιώτατον καὶ Θεοφιλέστατον καὶ Πατέρα ἀποσεμνύνει, — opus suum dicavit BISILIUS CILIX, Antiochenae Ecclesiae presbyter, Nestoriana haeresi infectus. — Eiusmodi opus, contra IOANNEM Scythopolitanum, imperium romanum moderante ANASTASIO, — Ῥωμαίων Ἀναστασίου βασιλεύοντος (491-518), — exaratum, sedecim complectitur libros (8). — Idem BASILIUS scripserat Historiam Ecclesiasticam a MARCIANO usque ad IUSTINUM I (518-527), et forsitan prolixiorem (9).

(1) Cf. Mansi, VIII, p. 1055.
(2) Ibid., p. 1023 et seqq.; — et p. 427.
(3) Cf. Gallandi *Biblioth.*, XI, p. 85, epistola VI.
(4) Cf. Mansi, VIII, p. 1113.
(5) Ibid., p. 1116.
(6) Ibid., p. 1128.
(7) Ibid., p. 1128.
(8) Cf. Photii *Biblioth.*, cod., 107, *P. G.*, 102, col. 380 C et 381 A.
(9) Cf. Fabricius-Harles, VII, p. 419.

11° Adhuc alius nobis obviam it Leontius, « vir sublimis aut clarissimus », an. 519, Constantinopoli degens (1).

12° Leontius, unus 519 Scythopolitanorum monachorum, qui Romam se contulerunt (2). Superest praeterea aliquod fragmentum ab isto Leontio una cum aliis subscriptum (3).

13° Leontius « vir venerabilis monachus et apocrisiarius Patrum in sancta civitate constitutorum ». Hic, ceu orthodoxus, adfuit colloquio cum Severianis habito, an. 531 (4).

14° Leontius qui dicitur « μοναχὸς καὶ ἡγούμενος καὶ τοποτηρητὴς τῆς ἐρήμου πάσης ». Hic, cum aliqua legatione Ierosolymitanorum monachorum, adfuit Constantinopolitanae synodo, an. 536 (5).

15° Leontius, qui fuit « episcopus Neapoleos » (ἐπίσκοπος Ἑλενουπόλεως), eidem synodo adfuit (6).

16° Leontius monachus quem « Vita Sabae » memorat.

17° Leontius, qui fuit, tempore Iustiniani, referendarius. Huic Theodora haud suam sponsam concessit (7).

18° Leontius, item referendarius, qui, ut legatus Iustiniani, missus fuit ad aulam Theodebaldi regis Francorum (548-555) (8).

(1) Cf. Thiel, *Epistolae Rom. Pont.*, I, 1868, in epp. Hormisdae, ep. 59, 3. — Mansi, VIII, p. 450.

(2) Cf. Thiel, op. et loc. cit., ep. 75, 2. — Mansi, VIII, p. 479, et passim.

(3) Cf. Gallandi *Biblioth.*, XI, p. 227, et Migne, *P. L.*, 65, col. 442 et seqq.

(4) Cf. Mansi, VIII, p. 818.

(5) Ibid., p. 884, 911, 931, 942, 954, 992, 1019.

(6) Ibid., p. 950, 974.

(7) Cf. Procopum, *Hist. arcana*, ed. Bonn., III, p. 104.

(8) Cf. Procopum, *De Bell. Goth.*, ed. Bonn., II, p. 587.

19° Leontius, qui fuit dux, in Vandalorum bello (1).

20° Leontius iurisperitus, cui, per constitutionem Iustiniani « De novo codice componendo » 13 Februarii 528, una cum aliis cura commissa fuit codicem Iustinianum conficiendi (2).

CAPUT SECUNDUM.

Definitur quisnam fuerit Leontius Byzantinus.

Iam quisnam ex supra recensitis viris reipsa fuerit Leontius Byzantinus, haudquaquam clara res est, neque eapropter omnium auctorum sibi comparavit suffragium eadem sententia. Enimvero punctum generalis, ut ita dicam, difficultatis, in hoc indubie est, nimirum an Leontius Byzantinus cum uno alterove supra recensitorum sit confundendus, aut e contra ab omnibus singulisque distinguendus. Controversia porro versatur potissimum circa identitatem Leontii Byzantini cum aliis tribus, n^is^ 12,13-14 ac 16 designatis. Age iam : diversae sunt hac de re auctorum opiniones, quae summatim necnon perspicue exponuntur in notitia altera praeposita editioni operum Leontii Byzantini in *Pat.* Migne. Legimus enim ad calcem col. 1188, *Nota* (2) : « Caeterum non una est omnium sententia eumdem esse Leontium Byzantinum et Hierosolymitanum, quandoquidem alii duos Leontios distinguendos putant, unum scholasticum Byzantinum, alterum mo-

(1) Cf. Procopum, *De Bello Vandal.*, ed. Bonn., I, 493; — et Theophanem, ed. de Boor, I, 205.

(2) Cf. Cod. Iustin., ed. Krueger, p. 1, lin. 13, et p. 3, lin. 14.

nachum Hierosolymitanum, ut Mansi, tom. II, col. 1251-52; et tom. VII, col. 797-98. Omnino tamen errant, qui LEONTIUM hunc cum illo famoso monacho Palaestinensi, qui, Iustiniano regnante, Origenistarum et Nestorianorum occultum caput erat (de quo vid. Cyrilli Scythopolit. *Vitam S. Sabae*, n° 72, in Cotelerii *Monum. Ecclesiae Graecae*, tom. III, p. 344-45) confundendum putant. Cf. Basnagii *Observat. in Leont.* n° 1-2 (l. c., p. 531-32), Cas. Oudin, tom. I, col. 1463, et Ceillier, l. c., n° 1 (p. 554-55). Neque idem est Leontius noster cum Leontio episcopo Neapoleos in Cypro, eiusdem fere temporis scriptore (de quo vid. Concil. Nicaen. II, act. 4, ap. Mansi, tom. XIII, col. 43-54) quandoquidem diversa utriusque sunt scripta, nec unquam LEONTIUS Byzantinus seu Hierosolymitanus appellatur episcopus » (1).

Itaque ultimam praetermittimus quaestionem, propterea quod nullatenus in dubium verti quit LEONTIUM nostrum alium fuisse ab episcopo Neapoleos in Cypro. Invicte enim utriusque identificationi obstat quod ambo nempe in diverso tempore vitam egerunt. Nam adhuc superstes erat episcopus Neapolitanus in saeculo VII, videlicet inter an. 10 et 20; e contra autem LEONTIUS Byzantinus ad priorem VI sæculi referendus est medietatem (2).

(1) Cf. *P. G.*, 86, pars prior.

(2) Die zweite Frage, über die verhandelt ist, war die, ob der Byzantiner Leontius identisch sei mit dem als Schriftsteller bekannten Bischof Leontius von Neapolis auf Cypern, der noch in zweiten Iahrzehnt des siebenten, Jahrhunderts am Leben war. — *Cave* (a. a. O, p. 352) war dafür, *Oudin* (a. a. O, p. 793), *Fessler* (a. a. O, p. 934, Ann., 2), *Gass* (a. a. O. S. 595) wiesen die Gleichsetzung ab. — *Die Frage ist für uns entschieden durch die Erkenntnis, dass Leontius von*

His idcirco declaratis, quæ identitatem LEONTII rite stabiliendam respiciunt, ad tria merito possunt revocari capita, scilicet:

I. — Utrum LEONTIUS Byzantinus unus fuerit ex monachis Scythopolitanis?

II. — Utrum LEONTIUS Byzantinus idem sit ac ille qui colloquium cum Severianis (an. 531 aut 533) habuit, quique insuper adfuit synodo MENNAE?

III. — Utrum LEONTIUS Byzantinus idem sit ac Leontius Origenista, cuius mentio fit in « Vita Sabae »?

Igitur accedamus ad explanationem trium quaesitorum.

I. — UTRUM LEONTIUS BYZANTINUS UNUS FUERIT EX MONACHIS SCYTHOPOLITANIS?

Quocumque porro dubio deposito, asserimus et propugnare contendimus LEONTIUM Byzantinum unum fuisse ex monachis Scythopolitanis. Argumenta autem quae nos ad eiusmodi thesim propugnandam compellunt, haec potissimum sunt.

Imprimis nos maxime movet analogia quaedam, quae aperte, primaque veluti fronte conspicitur doctrinam LEONTII inter atque doctrinam monachorum Scythopolitanorum. Quod profecto argumentum, etsi haud tantam prae se ferat vim, quae valeat nempe rem cum ampla dirimere certitudine, ad classem tamen pertinet momentorum quae, nedum in historicis disquisitionibus floccifacienda sunt, praeclaro e contra donantur

Byzanz der ersten Hälfte des sechsten Jahrhunderts angehört. (Loofs, p. 225.)

valore. Analogia vero, quae doctrinam Leontii atque monachorum Scythopolitanorum devincit, in famosa praelucet formula dogmatica, « Unus de Trinitate passus est carne » : ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος πεπονθέναι σαρκί. Inde profecto ad eiusmodi rem evincendam, duo demonstrare sat erit, quippe Leontium Byzantinum praefatae formulae pratronum ac defensorem extitisse; deinde pro eadem formula et ipsos monachos Scythopolitanos decertasse.

Iam ad prius quod adtinet, id impraesentiarum silentio praetergredimur. Cum enim in tertia nostrae dissertationis parte, apposite, speciali sub titulo, inquisitionem hunc in finem suscipiamus, ut Leontium revera praefatam formulam, ceu legitimam, amplexatum fuisse demonstremus, ne bis eadem dicantur, ideo ab hoc puncto enucleando nunc supersedendum esse convenienter iudicamus, simulque lectorem ad posterius pertractanda remittimus.

Quocirca unum duntaxat impraesentiarum vindicabimus; nimirum monachos Scythopolitanos allatae formulae patrocinatos fuisse. Sit igitur :

Hi monachi, huius formulae gratia, Constantinopolis convenere, an. 519 (1). Eorum dux erat Maxentius.

Hoc autem in tuto collocato, ultra quaeritur an hi monachi doctrinam complexi atque professi sint Leontianae prorsus consimilem. Porro huiusce quaesiti solutio, tota quanta est, pendet ex una parte ab examine epistolae a quatuor horum monachorum, qui an. 519 et 520 Romae degebant, conscriptae ad Fulgentium

(1) Cf. Card. Noris, *Historia Pelagiana*, edit. nona, Lovanii, 1702, lib. II, cap. 18,19, 20, p. 192-204; — et Smith, *Dictionary of christian biography*, art. Maxentius, III, p. 865.

Ruspensem aliosque Africanos episcopos tunc temporis in exilio in insula Sardinia versantes (1), ex alia autem ab examine operum Ioannis Maxentii (2).

Atque cum epistola ad Sardinienses episcopos, tum scripta Iaonnis Maxentii doctrinam plane exhibent placitis Leontii consentaneam, quod eruetur ex mera comparatione. Remissa ad tertiam partem doctrinae Leontii expositione, sufficiat huc maioris gravitatis capita referre doctrinae contentae in epistola monachorum necnon in scriptis Ioannis Maxentii quae, quam adamussim cum Leontii placitis conveniant, luculenter ex infra disputandis patebit. Huc autem veniunt praecipua capita, quae in epistola monachorum et in operibus Ioannis Maxentii explanantur.

1° Vehementer reiiciunt tum Nestorianismum, tum Monophysismum (3);

2° Ad Cyrillum simul ac ad Leonem confugiunt (4);

3° Profligant Theodorum Mopsuestenum Nestorii præceptorem (5);

4° Orthodoxam proponunt intrepretationem formulæ cyrillianæ, « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη » (6).

Quod hucusque nonnisi inductionis vi praeditum erat, iam ad pressioris argumenti dignitatem evehamus necesse est. Oportetne arbitrari Leontium Byzantinum

(1) Cf. Migne, *P. L.*, 65, col. 442 et seqq.

(2) *P. G.*, 86, col. 73-158.

(3) Cf. pro epist. monach. *P. L.*, 65, col. 447, n° 13; — pro Ioanne Maxentio, *P. G.*, 86, col. 111 et seqq., necnon, col. 115 et seqq.

(4) Cf. pro epist. monach. *P. L.*, 65, col. 447, n° 13; — pro Ioanne Maxentio, *P. G.*, 86, col. 77 C.

(5) Cf. pro epist. monach., *P. L.*, 65, col. 447, n° 13, — pro Ioanne Maxentio, *P. G.*, 86, col. 81 B et 84 B.

(6) Cf. pro epist. monach., *P. L.*, 447, col. 443, cap. 2; — pro Ioanne Maxentio, *P. G.*, 86, col. 81 A.

in sinu atque cœtu vixisse monachorum Scythopolitanorum? Ex quorumdam horum monachorum, quae novimus, nominibus compertum est unum nuncupatum fuisse LEONTIUM. Eius mentio habetur in epistola ad episcopos Africanos (1). Ipse enim unus est ex quatuor qui hancce subscripserunt epistolam : « Leontius misericordia Dei monachus subscripsit ». Ita fert textus. Hinc tota quaestio ad hoc tantum reducitur, an videlicet LEONTIUS epistolae ad Africanos episcopos et LEONTIUS Byzantinus possint debeantque necne inter se identificari.

Ad haec, utriusque LEONTII identitatem esse retinendam censemus. Rationes autem, quae nos ad hanc inclinant partem, ita proponimus :

1° Apprime in argumentum impingimus negativum, quod melius cuiusdam difficultatis diceretur solutio. In epistola monachorum SCYTHIAE ad Africanos episcopos aperte se prodit singularis auctorum eiusdem adversus Pelagianos propensio, et, consequenter, ad Augustini doctrinam accessus. At ne minimus quidem in operibus LEONTII Byzantini pro AUGUSTINI doctrina zelus refulget. Eiusmodi se habet difficultas.

Haec autem difficultas facillime exploditur animadvertendo disputationem monachorum adversus Pelagianos et Semipelagianos mere inferioris fuisse gradus, et, eapropter, accessoriam, neque aequam ad se rapuisse ac theses theopaschitas attentionem, quaestionibusque christologicis gressum cessisse. Quae ut debite capiantur, brevi opus est expositione. Apicem fervoris disputatio de formula a monachis propugnata,

(1) *P. L.*, 65, col. 451, n° 28.

« ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος πεπονθέναι σαρκί » adtigit tempore quo Sanctae Sedis legati, nimirum GERMANUS et IOANNES episcopi, FELIX et DIOSCORUS diaconi et BLANDUS presbyter Constantinopoli morabantur, causa unionis Ecclesiam orientalem inter et occidentalem, post obitum imperatoris ANASTASII (9 Iulii 518), ad faustum exitum perducendae. Porro legati nullam faciunt in suis epistolis mentionem doctrinae monachorum Pelagianismo oppositae, quod sane difficile creditu esset si Antipelagianae partes tantum obtinuissent in eorum disputationibus locum. Praeterea monachi SCYTHIAE ad provocationem fuerant inducti, quod liquido constat ex epistola MAXENTII ad legatos in qua « sua de Christo professio » recitatur. Legimus autem : « His ita se habentibus, beatissimi, nunc quid iam de gratia Dei, non qua creamur, sed de ea qua recreamur et renovamur, sentiamus, breviter exponentes, Sanctitati Vestrae necessario credimus facere debere manifestum. *Eo quod etiam in hac parte inimici gratiae Dei, id est, Pelagii et Caelestii sectatores, nimium nobis infesti esse videntur* » (1). Quomodo autem istiusmodi provocationes contigerint, nobis denuo renuntiat Maxentius in sua ad epistolam Hormisdae responsione. Patefacta enim, suo iudicio, haeretica indole librorum FAUSTI Reii episcopi in Gallia, ita prosequitur : « Sicque confundantur omnes, qui eos hactenus defendunt catholicos. Quorum princeps et auctor est Possessor Africanus episcopus, si tamen in hac parte (in quaestione de gratiae necessitate), non huius reputat sententiam, cuius, ut Christus, Filius Dei vivi, qui pro hu-

(1) *P. G.*, 86, col. 85 B.

mana salute in carne est crucifixus, unus negetur ex Trinitate, magnam praedicat auctoritatem » (1). Hinc patet POSSESSOREM episcopum infensum fuisse formulae « unus de Trinitate passus ». Imo, licet ipse haud fuerit Semipelagianus, nihilominus FAUSTUM, quem habebat ut orthodoxum, sequutus est in sua contra monachos pugna. Ex quo plane consequitur monachos ideo Semipelagianismo praeoccupatos fuisse, propterea quod eis opus erat FAUSTUM, adversus eos in palaestram descensum, ceu haereticum prodere.

His ergo delibatis, iam nullo negotio concludere possumus. Quamvis in scriptis LEONTII Byzantini nullum reperitur influxus AUGUSTINI vestigium, nihilosecius ipse identificari quit cum LEONTIO monacho Scythopolitano. Nam ex hactenus disputatis constat quosdam tantum monachorum SCYTHIAE Semipelagianismum profligasse, suarum sententiarum christologicarum causa. Verum, neque certum est, neque inde ullatenus sequitur LEONTIUM Scythopolitanum adnumerandum esse numero horum monachorum debellantium.

2° Ast neutiquam hoc concedendum est. Etenim, quod maioris est ponderis, quodque prima fronte mirum, scripta LEONTII Byzantini, palam influxu praegnantur occidentali. Videamus eapropter quaenam sint huius influxus indicia.

Imprimis in opere omnino authentico « ADVERSUS NESTORIANOS ET EUTYCHIANOS » ter citat S. AMBROSIUM. Duo textus excerpuntur ex eius libro « CONTRA APOLLI-

(1) *P. G.*, 86, col. 107 A.

NAREM » (1). Tertius vero textus depromitur ex eiusdem libro « Ad SABINUM episcopum » (2).

Sepositis quamplurimis aliis textibus, utpote in opere legitima authentia destituto « CONTRA MONOPHYSITAS » contentis (3), quaedam maioris pretii iuvat exscribere loca, in quibus verosimiliter refertur doctrina AUGUSTINI de *Gratia* necnon de *Peccato*. Ita legimus in « ADVERSUS NESTORIANOS ET EUTYCHIANOS » : πάσης ἁμαρτίας κρείττων φανεῖσα (scil. ἡ σάρξ τοῦ Κυρίου) οὐκ ἐχρεώστει δι' ἑαυτὴν θάνατον· εἴπερ καὶ τὴν ἀρχὴν ὁ θάνατος διὰ τὴν ἁμαρτίαν εἰσέφρησε, καὶ διὰ πάσης κεχώρηκε τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἐφ' ᾧ κατὰ τὸν Παῦλον πάντες ἥμαρτον· οὐ γὰρ ἔστιν ἢ γέγονεν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος ἀνθρώπου ψυχὴ ἑκουσίου τε ἢ ἀκουσίου ἁμαρτίας καθαρά (4). (Ibid.) « Adde mihi, inquit, fictum esse peccatum Adae, idque Deo auctore, ut iudicium iniquissimum in Adam qui non peccasset, sed per calumniam damnatus fuisset, et exsilium ei decretum, iuxta et probabilis causa redimendi mundum fierent. Annon propter hanc radicem malorum et reliquae deinceps impietatis hominum Christus venit, ut Adam ovem, a compascuo centum abductam, et aberrantem tanquam bonus pastor salvaret? » (5). Demum : « Da deinde, non quidquid est, esse ex Dei creatione et providentia, sed multa inutilia suborta esse ex accidenti et consecutione rerum, non facta Deo volente, sed ex natura rerum, Deo non prohibente » (6). Duos posteriores textus ex versione la-

(1) *P. G.*, 86, col. 1311 C et col. 1355 D.
(2) *P. G.*, 86, col. 1314 A.
(3) *P. G.*, 86, col. 1828 A, 1837 A B. 1837 B D.
(4) *P. G.*, 86, col. 1332 C.
(5) *P. G.*, 86, col. 1370, nº XXIV.
(6) *P. G.*, 86, col. 1371, nº XVIII.

tina exscripsimus, quia textus graecus est valde corruptus (1).

3° Eadem illatio magnum consequetur robur, dummodo specialem instituamus collationem inter LEONTIUM Byzantinum et monachos Scythopolitanos. Quae comparatio, triplici potissimum sub respectu, adspici potest; id est :

a) Monachi SCYTHIAE sese uti synodi Chalcedonensis defensores praebuere, quemadmodum constat ex explicitis MAXENTII testimoniis. Unicum tantum, ad rem, referamus. In sua ad legatos epistola ita exorditur : « Quoniam nonnulli videntes nos contra eos qui inimico proposito venerabilis Chalcedonensis concilii fidem nituntur evertere, Patrum proferre sententias, etc... » (2). Similiter, illos qui formulam « Deus passus est carne » reiiciebant, Nestorianismi incusabant monachi (3).

Porro auctor libr. III « ADV. NEST. ET EUTYCH. » idipsum facit. Hoc primum manifestum fit ex titulo huius libri, prouti legitur in indice codicis TURRIANI. « Contra illos qui simulabant se Chalcedonensem synodum recipere, cum essent Nestoriani ». Insuper expressum praesto est testimonium : « καὶ μὴν ὅτι τὴν μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον σύνοδον, καὶ ἀντ᾽ ἄλλου τινος δελεάσματος, τοῖς ἁπλουστέροις προτείνουσιν, οὐ φρονοῦντες μὲν κατ᾽ ἀυτὴν »(4).

b) Proprium monachorum SCYTHIAE erat constans

(1) Cf. Loofs, p. 237, *Notae* * et **.
(2) *P. G.*, 86, col. 75.
(3) Cf. *Praefatio* Dialogi Maxentii contra Nestorianos ad Theophilum, *P. G.*, 86, col. 115.
(4) *P. G.*, 86, col. 1360 B-1361.

sollicitudo ad Patres provocandi. Modo Maxentium audivimus dicentem « nos... Patrum proferre sententias ». In eadem epistola haec profert : « His qui errorem propriae impietatis ex auctoritate synodi confirmare nituntur, et verba simpliciter atque integre a sanctis Patribus edita ad suam pravitatem conantur retorquere, compulsi sumus sanctorum virorum probatissimorumque Doctorum sententiis armati, occurrere... evidenter arguentes eos à fide Sanctorum Patrum... esse penitus alienos » (1).

Atque apud Leontium Byzantinum, nihil est frequentius ac communius quam citationes Patrum (χρήσεις τῶν Πατέρων).

c) Leontius monachus Scythopolitanus noverat disputationem exortam inter Paulum Samosatenum et presbyterum Malchionem, uti apparet ex epistola ad Fulgentium in qua haec occurrunt : « A sanctis Patribus adunatione ex divinitate et humanitate Christus Dominus noster compositus praedicatur. Quod nolens Paulus Samosatenus confiteri, damnatus est Antiochaeno concilio, Malchione presbytero eiusdem Antiochenae Ecclesiae, viro per omnia eruditissimo, et ab universis sacerdotibus, qui contra eumdem Paulum convenerant, tunc electo » (2).

Iam eiusdem disputationis notitia eruditus erat Leontius Byzantinus. Refert enim haec verba Dialogi Pauli Samosateni contra Malchionem : « Ἵνα μήτε ὁ ἐκ Δαβὶδ χρισθεὶς ἀλλότριος ᾖ τῆς σοφίας, μήτε ἡ σοφία ἐν ἄλλω οὕτως οἰκῇ » (3).

(1) *P. G.*, 86, col. 77 C.
(2) *P. L.*, 65, col. 444, n° 6.
(3) « *Adv. Nest. et Eutych.* », col. 1392 C.

4° Idem evincitur ex parallelismo inter MAXENTIUM dûcem monachorum et LEONTIUM Byzantinum. Obvium erit obtestari dependentia quadam devinci LEONTIUM cum MAXENTIO, eiusque scripta novisse.

Sit itaque :

Maxentius.

« Haec quæ dicis, compositae et passibilis naturae sunt propria, impassibili autem et incompositae non est aliud naturaliter, aliud voluntarie quidpiam facere, sed prorsus unum atque idipsum est. Quia sibi non aliud est natura, aliud voluntas, sed natura voluntas est et voluntas natura. Idcirco Deus Verbum... cum dicitur naturaliter carni unitus, » etc... (Dialogus, *P. G.*, 86, col. 133 B.)

Leontius.

Οὐ γὰρ διαμάχεται ἐν τῷ πάντῃ ἁπλουστάτῳ καὶ ἀδιαφόρῳ ἀγαθῷ θεῷ γνώμη καὶ φύσις. ὥστε εἰ γνωμικῶς δύναται συναφθῆναι ἡμῖν, πολλῷ μᾶλλον φυσικῶς. (« Adv. Nest. », *P. G.*, 86, col. 1501 C.)

Cum autem opus « ADVERSUS NESTORIANOS » sit interpolatum, ut in secunda parte ostendetur, ideo collatio ei innixa difficultatibus est obnoxia. Quare expedit ut elementa parallelismi ex scriptis genuinis depromantur. Quocirca sit rursus :

Maxentius.

a) « Inquiunt non esse naturam sine persona. » (Libellus contra Acephalos, *P. G.*, 86, col. 111 D).

b) « Si una post adunationem in Christo natura est,

Leontius.

a) Οὐκ ἔστι δὲ φύσις ἀνυπόστατος. (« Adv. Nest. et Eutych. », 1276 D, lin. 6.)

b) Εἰ ἡ ἕνωσις καὶ τὰ ἡνωμένα τῶν πρός τι· τὰ δὲ πρός τι, καὶ

Maxentius.	**Leontius.**
ergo nec adunatio carnis facta est... si vero adunatio carnis facta est, iam non tantum divina, sed et carnis natura in Christo est. » (Ibid., col. 111-112 D, lin. 1-7.)	ἀεὶ ἅμα· ἅμα οὖν καὶ ἀεὶ ἡ ἕνωσις καὶ τὰ ἡνωμένα· εἰ δὲ τὰ ἡνωμένα παύεται, καὶ ἕνωσις ἅμα παύεται. (XXX CAPITA; cap. IX, 1904 B.)
c) « Si post adunationem una natura in Filio Dei profitenda est, aut humanitas sola in Christo est, aut certe sola divinitas. » (Ibid., col. 111 A, lin. 12-14.)	c) Verba parallela exstant tantum in « CONTRA MONOPHYSITAS », 1769 A.
d) « Si non est natura sine persona, et persona non est sine natura, tres ergo sunt naturæ divinitatis, non una. » (Ibid., col. 113 B.)	d) (EPILYSIS, 1921 per totum A.)
e) « Dicunt : ubi est numerus, ibi est divisio. — *Resp.* Numerus non existit in seipso, sed in rerum natura... Quomodo Pater et Filius et Spiritus Sanctus in unitate naturæ subsistunt? — Sæpe numeramus partes quas solum mente discernimus. » (Ibid., col. 114 A, lin. 3-C, lin. 4.)	e) (Ibid., 1920 A-1921 B; textus prolixior ut possit exscribi; — item « XXX CAPITA », cap. VIII, 1903.) ... τὴν τούτων (φύσεων) διαίρεσιν κατ' ἐπίνοιαν ἔλαβον, τὰ μὴ διῃρημένα. (Ibid., 1932 C.)
f) Si ex Trinitate et humanitate, prout asserunt, una facta est natura, quomodo indicabitur? « Locutio *una natura Dei Verbi incarnata* duas exprimit in Christo naturas... Christus non est nomen naturæ. (Ibid., col. 114, D, usque ad finem [1].)	f) πῶς δὲ τὰς δύο φύσεις παραιτούμενοι, ὡς πάντως τῆς δυάδος κατ' αὐτοὺς τὴν διαίρεσιν εἰσαγούσης, δύο ἰδιότητας λέγειν οὐ παραιτοῦνται, κ. τ. λ. (*Epilysis*, 1936 A B; — item 1928 A.) « ... Χριστὸς ὄνομα οὔτε δύναμιν ὅρου ἔχει, οὔτε τὴν τινος οὐσίαν δηλοῖ (XXX CAPITA, XXVII, 1912.)

(1) Retulimus tantum substantiam argumenti.

5° Tandem eadem propositio demonstratur ex concordantia quae intercedit inter vitam LEONTII Byzantini, prouti ipsam novimus, et vitam LEONTII monachi Scythopolitani. Quae huc veniunt, ad haec reducuntur :

Ex ipsius LEONTII Byzantini diserto testimonio patet ipsum, tempore suae iuventutis, diu vitam degisse sub Nestorianorum ditione. Et sane legimus in « ADV. NEST. ET EUTYCH. » : « Quoniam contra quos paulo ante volui columnam Deo ponere, et triumphum de ipsis agere, qui non amplius impietatem celant, et in abdito servant, et multos in fallaciam occultando inducunt, sed e longinquo apparent, eo magis fugiendi et avertendi; ex horum caetu et numero aliquando fui (ἧ ὅτε καὶ αὐτὸς ὑπῆρχον τοῦ θιάσου μέρος). Cum enim tunc adolescens essem, et tempus et rationem mihi subripuerunt, nullo instrumento malitiae ad hoc non adhibito (νέον γὰρ τότε ὄντα με, τόν τε χρόνον καὶ τὸν λογισμὸν ἡρπάκεισαν, οὐδὲν ὅτι μὴ τῶν τῆς κακίας ὀργάνων εἰς τοῦτο κινήσαντες). Proposuerunt enim dogmatum absolutionem, quae ego postquam hoc specioso verbo, tanquam summo digito, delibavi, factus sum avidus, et ut animo prompto essem, nihil in me desideratum est. Illi vero me tanquam caecum alicuius viae cupidum nacti, conati sunt in barathrum impietatis suae deturbare » (1). Hi porro Nestoriani, uti iam vidimus, externe saltem profitebantur atque retinebant synodum Chalcedonensem (2), seu, rectius, ut fert titulus lib. III « ADV. NEST. ET EUTYCH. » in codice TURRIANI (Canisius Basnage, I, p. 525)

(1) 1358 C-1359 A.
(2) 1360 D-1361 A.

« simulabant se Chalcedonensem synodum recipere, cum essent Nestoriani ».

Insuper Leontius maestum hoc iuventutis suae experimentum, nonnisi diu post suam conversionem, in eodem opere, edito nempe inter an. 529 et 544, memorat : « Quod autem, inquit, a principio, ex quo lucem vidi, et mihi aspectus lucis munere Dei redditus est, non composui orationem in gratiarum actionem, excuset me quidem Deus; excuset vero etiam unusquisque ex iis quos Deus diligit (1). »

Iam vero nemo non videt haec omnia concinne quidem Leontio Scythiae monacho convenire. Aliunde adamussim haec quoque cohaerent, si eiusmodi declaratio contenta in « Adv. Nest. et Eutych. », quam modo excepimus, reipsa refertur ad experimentum, quod Leontius in caetu monachorum Scythopolitanorum, in prioribus secundae decimae partis saeculi VI annis, cepit.

Haec igitur cum ita se habeant, dubio procul concludimus Leontium Byzantinum esse ipsummet Leontium monachum Scythopolitanum.

II. — Utrum Leontius Byzantinus idem sit ac ille, qui colloquium cum Severianis (an. 531 aut 533) habuit, quique adfuit synodo Mennae?

Factum historicum, quod nobis, ceu principium maxime conferre valet ad praesentem quaestionem dirimendam, est colloquium habitum cum Severianis, an. 533. Eiusmodi colloquio praefuit Hypathius Ephe-

(1) [illegible]259 B.

sinus (1). Aliunde novimus plane LEONTIUM Byzantinum specialem sibi famam comparasse, ob suam in disputationibus artem et calliditatem. Id ipse fatetur in prologo ad « ADV. NEST. ET EUTYCH. »; ita enim oritur : « Ἄνδρες μὲν θεοφιλεῖς, καὶ τῶν θείων δογμάτων ἐπιθυμητικῶς ἔχοντες, τὰς εἰς τὸ κοινὸν διαλέξεις, ἃς συχνῶς πεποιήμεθα ἀποδεξάμενοι, προὔτρεψαν ἡμᾶς » κ. τ. λ. (2). Caeterum strenuum suum in disputationis negotio ingenium mirum sane in modum patefacit LEONTIUS in toto opere « XXX CAPITA ADVERSUS SEVERUM », singillatim autem in conclusione, in qua quidem declarat se finem dubitationibus imponere. « Ἡμεῖς δὲ, ita ipse, ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις τῷ Θεῷ εὐχαριστήσαντες, αὐτοῦ πού τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐπαπορήσεων στήσωμεν » (3).

His igitur ita statutis, pronum primo intuitu videtur LEONTIUM inter orthodoxos, praefato adstantes colloquio, gradum suum habere debuisse. Bene autem; in numero orthodoxorum disputantium aderat eiusmodi colloquio « LEONTIUS vir venerabilis, monachus et apocrisiarius Patrum in sancta civitate constitutorum » (4). Integra idcirco quaestio nunc sponte quasi huc venit, sitne nimirum iste LEONTIUS apocrisiarius et missus a Patribus, id est, a monachis, in sancta civitate, scilicet, Ierosolymis, commorantibus, idem ac LEONTIUS Byzantinus atque LEONTIUS monachus Scythopolitanus? Ad dubii solutionem, sat erit, puto, simulque summopere iuvabit collationem proponere inter acta colloquii et scripta LEONTII; qua collatione abso-

(1) Mansi, VIII, p. 817.
(2) 1268 B.
(3) 1916 A.
(4) Mansi, VIII, p. 818.

luta, nulla ultra supererit dubitatio de amborum identitate. Age iam; ad rem tres tantummodo perlustrabimus colloquii actiones, prouti a MANSI referuntur atque describuntur.

ACTIO I^a^.

Habita fuit prima die. Actio haec respicit quamdam fidei professionem ab aliquo Severiano propositam, de qua et ipsi Severiani dicebant : « Omnia, quae nobis ambigua videbantur, et scandalizabant nos, intexuimus. » Praeses orthodoxus HYPATHIUS Ephesinus de huiusmodi formula haec habet : « Chartulam illam pervidimus, in qua tam supra quam infra Chalcedonense concilium criminamini » (1).

Occasione huiusce scripti poscit HYPATHIUS a Severianis quid sentiant de EUTYCHETE et DIOSCORO. — Severiani posteriorem ut orthodoxum habent; de priore autem haec proferunt : « Haereticus (est), magis autem princeps haeresis. » Quibus auditis, ergo, instat HYPATHIUS, male egit DIOSCORUS, eum, in latrocinio Ephesino, recipiendo, quem damnarunt FLAVIANUS Constantinopolitanus et EUSEBIUS Doryloeus, EUTYCHETIS incusatores. Monophysitae vero exceperunt : « EUTYCHETEM tanquam acta forsitan poenitentia iustificarunt. » Id autem confutavit HYPATHIUS hoc unico momento quod DIOSCORUS, iam ante damnationem EUTYCHETIS, Constantinopoli ei successerat et, eapropter, Severianos adduxit ad profitendum DIOSCORUM, EUTYCHETEM recipiendo necnon eius adversarium reprobando, iniuste

(1) Mansi, VIII, p. 818 et 819.

revera egisse, adeo ut proinde « Chalcedonense iuste congregatum concilium est, ut ea, quae universale concilium deliquerat, vel, sicut vos (Severiani) dicitis, minus viderat, ab universali concilio corrigerentur ».

Atque luculentum est LEONTIO Byzantino notum fuisse quoddam Monophysismum fragrans scriptum, aut Monophysitam de Chalcedonensi synodo disputationem. Nam confutatio argumentorum adversariorum synodi Chalcedonensis, obiectum constituit ACTIONIS VI[ae] operis « DE SECTIS », cuius caeteroquin titulus clare indicat naturam rerum, quae ibi pertractantur. Sic enim inscribitur apud MIGNE : « Haec actio sexta reprehendit quosdam, qui synodum Chalcedonensem nolebant admittere, eorumdemque rationes et examinantur et refelluntur (1). » Item in « CONTRA MONOPHYSITAS » refert rationem propter quam ab orthodoxis dissentiebant. Monophysitae quidem in crimen vertebant catholicis ipsum cultum, quem nutriebant pro synodo Chalcedonensi necnon pro LEONE Romano. Audiamus : « οὐ συνεκκλησιαζόμεθα ὑμῖν· δέχεσθε γὰρ καὶ σέβετε τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, καὶ Λέοντα τὸν πατριάρχην Ῥώμης » (2). Clarius autem tradit rationem agendi Chalcedonensis synodi erga DIOSCORUM. In ius enim eum vocavit propterea quod impium excepisset EUTYCHETEM et FLAVIANUM proscripsisset : « Διόσκορον γὰρ ὡς Εὐτυχέα μὲν τὸν κακοφρόνα δεξαμένον μετὰ τὴν καθαίρεσιν αὐτοῦ, καὶ ἀναθεματίσαντα τὸν ὅσιον Φλαυϊανὸν, τὸν δικαίως αὐτὸν καθάραντα προετρέψατο ἐλθεῖν εἰς ἀνάκρισιν » κ. τ. λ. (3).

Speciatim autem huc adnotanda est excusatio a

(1) 1233-1234.
(2) 1876 D.
(3) Ibid., 1884 C. Fusius idem prosequitur, ibid., 1885 B C.

Monophysitis allata, quae in idem penitus conspirat ac illa, quam supra ex *actione* colloquii excepimus. Arguebant enim ideo DIOSCORUM EUTYCHETEM recepisse, quia poenitentiam egerat : « Ναί, φησί· μετανοήσαντα γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τούτοις ἐδέξατο, καὶ ἀληθῶς ὀρθοδοξοῦντα ὕστερον » (1).

Ex his igitur prospicere pronum est substantiam *Actionis Iae* colloquii insertam esse et veluti insculptam in LEONTII scriptis.

Ulterius nunc progrediamur.

ACTIO IIa.

Habita fuit die secunda. Quae vero in ea peracta fuere, ad duo potissimum reducuntur (2).

1° Monophysitae insectabantur synodum Chalcedonensem eo quod, docendo et definiendo Duophysismum, novitatem introduxerit; siquidem, eorum sententia, veteres Patres, CYRILLUS, ATHANASIUS, FELIX et IULIUS Romanus, GREGORIUS Thaumaturgus et DIONYSIUS Areopagita aliud docuere (3). Porro in hac prima parte, veluti duo evolvuntur argumenta, nempe :

a) Respicit scripta ATHANASII, IULII et GREGORII Thaumaturgi a Monophysitis allata. Notum autem fuit eiusmodi scripta nihil aliud esse quam « pseudoathanasianum tractatum » περὶ σαρκώσεως τοῦ Λόγου, suppositiitias IULII epistolas, et opus « κατὰ μέρος πίστις » (4). Unde,

(1) 1885 B.
(2) Mansi, VIII, p. 820-831.
(3) Ibid., p. 820 C.
(4) Ibid., p. 821 A et D.

b) Hypathius declaravit eiusmodi scripta esse meras Apollinaristarum interpolationes. Ad Dionysium autem Areopagitam quod attinet, opposuit authentiam eius scriptorum nondum esse stabilitam.

2° Ad Cyrillum attentio convertitur, et tria animadvertuntur.

a) Apprime Severiani calumniantur a synodo Chalcedonensi epistolam Cyrilli XII capita amplectentem haud directe fuisse receptam (1).

b) Urgent, vel et ipsas epistolas Cyrilli receptas, nempe priorem dogmaticam ad Nestorium (2), et epistolam ad Orientales (3) Duophysismo contradicere per formulam : « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη » (4).

c) Demum provocant ad alias Cyrilli epistolas, ex quibus notiores erant epistola ad Eulogium (*P. G.*, 77, col. 223 et seqq.), et altera ad Succensum (Ibid..., col. 237 et seqq.) (5).

Ad *a*) respondet Hypathius epistolas Cyrilli fuisse *implicite* receptas. Simul ostendit Cyrillum, quamvis in doctrina de « *Trinitate* » inter οὐσίαν et ὑπόστασιν distinxerit, in christologia tamen promiscue duo vocabula usurpasse.

Ad *b*) opposita fuit recitatio professionis Flaviani quae tuebatur Duophysismum et formulam... μιὰ φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη.

Ad *c*) reposuit *authentica* duntaxat Cyrilli scripta indubie docere doctrinam Duophysismi. Huius rei causa disputationem excitavit receptio *epistolae Dog-*

(1) Mansi, VIII, p. 821 E-822 D.
(2) *P. G.*, 77, col. 43 et seqq.
(3) *P. G.*, 77, col. 173 et seqq.
(4) Mansi, VIII, p. 822 D-824 A.
(5) Ibid., p. 824 A- 828 E.

maticae ad NESTORIUM et *epistolae* ad Orientales in secunda synodi Chalcedonensis sessione (1). De posteriore assertum fuit ipsam propriam CYRILLI mentem, non autem Orientalium patefacere.

Haec quoad secundam colloquii actionem.

Nunc transeamus ad LEONTIUM nostrum. In eius autem scriptis perfectum sane reperiemus parallelismum cum argumento secundae actionis. — Primum adnotare summatim perutile est secundam praecipuam partem operis « Σχόλια Λεοντίου », in quo colliguntur disputationes contra Monophysitas, adamussim respondere secundae colloquii actioni. Et revera, speciali modo in « CONTRA MONOPHYSITAS » quod, uti infra videbimus, provenit ex opere « Σχόλια Λεοντίου », omnia comperiuntur, quae fuere in secunda colloquii actione ventilata. — Ibi enim et ipse LEONTIUS occurrit calumniae Monophysitarum asserentium quippe Duophysismum esse novitatem. — Ibi etiam librae et examini submittuntur Apollinaristarum adulterationes, necnon et textus CYRILLI, qui ansam suspicioni praebuerunt. — Ibi etiam (2) refertur epistola CYRILLI ad SUCCENSUM. — Ibi quoque citat locum epistolae CYRILLI ad EULOGIUM (3).

Eadem proponuntur in « DE SECTIS » quod pariter, uti inferius ostendetur, originem ducit a « Σχόλια ». Unus porro potissimum textus dignus est, qui exscribatur, utpote continens specimen adulterationum Apollinaristarum : « Ἀλλὰ τί ἔχομεν εἰπεῖν, ὅτι παραφέρουσι τὸν μακάριον Κύριλλον, παράγοντα αὐτὴν (scilicet opus

(1) Mansi, VI, p. 955.
(2) 1853, 1856, 1876.
(3) 1833 C-D. « Οὕτω καὶ ἐπὶ Νεστορίου κ. τ. λ. »

pseudoathanasianum περὶ σαρκώσεως) παρὰ (Loofs merito corrigit κατὰ) τοῦ Θεοδώρου, ὡς ἀπὸ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου; Λέγομεν πρὸς τοῦτο, ὅτι τῷ ὄντι μὲν κεῖται ἐν τοῖς τοῦ μακαρίου Κυρίλλου κατὰ Θεοδώρου ῥήθεισιν, ἀλλὰ σφάλμα ἐστὶν ἀρχαῖον (1).

Alia quoque elucidentur oportet quae parallelismum vel adhuc exhibent conformiorem. Ita, speciminis gratia, odiosa Cyrilli locutio in epistola synodica « διαιρεῖν τὰς ὑποστάσεις », plenissime Leontio nota erat. Eam enim nonnunquam, quoad sensum duntaxat, tangit (2), nonnunquam autem et diserte exponit, ut ex sequentibus patet verbis : « εἴ τίς ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις » κ.τ.λ. (3). Accurate explicat quomodo concilium Chalcedonense Cyrilli receperit epistolam. Adversarii enim, uti supra adnotavimus, obiiciebant synodum Chalcedonensem dicta Cyrilli reiecisse : « Λέγουσιν οὖν, τοῦ ἁγίου Κυρίλλου ταῦτα εἰπόντος, ἡ σύνοδος ἀπεβάλετο αὐτά, καὶ οὐδὲν περὶ αυτῶν εἶπεν. — Respondet synodum ideo haec reticuisse, quia manifesta et omnibus communia erant : « Ἑνὶ δὲ λόγῳ ταῦτα πάντα ἀνατρέπομεν, ὅτι ὡς κοινὰ ὄντα καὶ ὁμολογούμενα παρείασεν αὐτὰ ἡ σύνοδος (4). — Demum ipsamet Flaviani fidei professio contra Monophysitas adhibetur a Leontio, uti liquido ex sequentibus colligitur : « Φλαβιανοῦ τε τοῦ μακαρίτου τῆς ἐκθέσεως ἐχούσης » κ. τ. λ. (5); iterum : « Καὶ τίς ἐντυγχάνων τῇ ἐκθέσει τῆς πίστεως Φλα(υ)ιανοῦ », κ. τ. λ. (6).

(1) 1256 D.
(2) *Epilysis*, 1925 A.
(3) *De Sectis*, 1241 C.
(4) Ibid., 1252 C.
(5) 1844 C.
(6) 1885 D.

Iam superest concludamus : Omnia acta secundae colloquii actionis in operibus Leontii inclusa esse perspicitur.

ACTIO III^a.

In tertia actione rursus Monophysitae haec crimini synodi Chalcedonensi vertebant : « Ibas et Theodoretus, sicut rectae fidei, suscepti sunt a synodo » (1). — Ast, reponebat Hypathius, iam ambo Nestorium damnaverant. Quod si, hac in re, Theodoretus haud recte atque sincere egerit, quis damnabit Nycaenam, quoniam et Eusebius Nicomediae et Theognis Nicaenus eam subscripserunt? — Caeterum Cyrillus ipse cum Theodoreto pacem et concordiam inivit, et ideo ambo ad se invicem epistolas amicitiae miserunt. — Quoad Ibam autem, diutius disputatum fuit de eius ad Marin epistola. Nihilominus et in hoc praecipuum remanet Hypathii argumentum, nempe et ipsum Ibam, nonnisi postquam Nestorium damnaverit, fuisse susceptum. — Ultimo disputatio hac perabsoluta fuit conclusione : « Chalcedonense ergo concilium circa Ibam et Theodoretum districtius agit quam beatus Cyrillus. Beatus enim Cyrillus contentus fuit in consensu damnationis Nestorii et ordinatione beati Maximiani, qui pro illo in hac civitate episcopus factus est; Chalcedonense autem sanctum concilium, nisi sub praesentia sua anathematizasset Nestorium et omnia dogmata eius, et scriptis inter acta insertae fuissent voces eorum, non fuit contentum suscipere eos » (2).

(1) Mansi, p. 829 C.
(2) Ibid., p. 831 C D.

Convertamus nunc mentem ad Leontium. Haec omnia ab ipso enarrantur et memorantur. Et revera utramque Severianorum refert obiurgationem in opere « Σχόλια ». Eius verba excipiamus : « τετάρτη ἐστὶν ἀπορία (ἡ γὰρ δευτέρα εἰς δύο διαιρεῖται) ὅτι αἱρετικοὺς ἀνθρώπους ἐδέξατο ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος. Ἐδέξατο γὰρ Θεοδώρητον καὶ τὸν Ἰβᾶν· ὧν ὁ μὲν Θεοδώρητός ἐστιν ὁ αντειπὼν πρὸς τὰ ιβʹ κεφάλαια τοῦ μακαρίου Κυρίλλου, ὡς τὰ Νεστορίου φρονῶν. Ὁ δὲ Ἰβᾶς καὶ αὐτὸς Νεστοριανὸς ὡς δηλοῖ ἡ γραφεῖσα παρ' αὐτοῦ ἐπιστολὴ πρὸς Μάριν τὸν Πέρσην, ἐν ᾗ ἄνω καὶ κάτω ἐπαινεῖ τὸν Θεόδωρον, ἀφ' οὗ τὰ οἰκεῖα δόγματα ἰσχυρίζετο ὁ Νεστόριος. Λέγομεν οὖν πρὸς μὲν τὸ Θεοδωρήτου δόγμα, ὅτι οὐ πρότερον αὐτὸν ἐδέξατο ἡ σύνοδος, πρίν ἀναθεματίσαι Νεστόριον καὶ τὸ φρόνημα αὐτοῦ » (1). Amplius, etiamsi ambo fuissent palam haeretici, nihilominus non esset Chalcedonense reiiciendum, quandoquidem concilium Nycaenum antea septem receperat haereticos. « Εἰ δὲ καὶ δῶμεν ὅτι φανερῶς ἦσαν αἱρετικοὶ οὗτοι, οὐδὲ οὕτως ὤφειλον ἀποβάλλεσθαι τῆς συνόδου. Ἰδοὺ γὰρ καὶ ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος ἐδέξατο ἑπτὰ αἱρετικούς, καὶ πρὸ τούτου ἀρειανοῦντας, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιμείναντας » (2). Verum, ambo Theodoretus et Ibas reipsa Nestorium damnarunt, et Cyrillus iterum cum Orientalibus communionem resarcivit : « Ὅ οὖν ὁ ἅγιος Κύριλλος οὐκ ἐποίησε, τοῦτο ἡ σύνοδος ὀφείλει ἐγκαλεῖσθαι μὴ ποιήσασα; Καίτοι ὃ μὴ ἐποίησεν ὁ ἅγιος Κύριλλος, αὕτη ἐποίησεν, ἀναγκάσασα τὸν Θεοδώρητον ἐπὶ πάντων ἀπὸ στόματος, ἀναθεματίσαι τὸν Νεστόριον » (3).

Inde denuo compertum est ea, quae habet Leontius, tertiae colloquii actioni undequaque consentire.

(1) Ita apud Loofs, pp. 157-58, col. 3.
(2) Ibid., pp. 159-60, col. 3.
(3) Ibid., p. 159, col. 3.

Superiori demonstrationi aliud, in eumdem finem, operae pretium erit addere argumentum quod indicatio nobis suppeditat « Leontii monachi et apocrisiarii Patrum in sancta civitate constitutorum ». Videamus igitur quid exinde inferre liceat.

Constantinopolitanae synodo a Menna patriarcha, a 2 Maii usque ad 4 Iunii an. 536, congregatae, nominatim adfuit (1) cuilibet e quinque sessionibus, singularis legatio plus quam 80 abbatum et monachorum ex Constantinopoli, Antiochia, et Ierosolymis, qui, sive verbo, sive scripto damnationem Anthimi, quondam episcopi Constantinopolitani, Severi, Petri Apamaei et Zoarae monachi monophysitae obtinere moliti sunt. Porro inter huiusmodi monachos, in coetu nempe Ierosolymitanorum, accensebatur (2), uti in capite primo sub nº 14 relatum fuit : « Λεόντιος μοναχὸς καὶ ἡγούμενος καὶ τοποτηρητὴς πάσης τῆς ἐρήμου » aut « Λεόντιος ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος ἰδίου μοναστηρίου ποιούμενος τοὺς λόγους καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ Ἰορδάνῃ ἁγίων Πατέρων ». Iam mirus revera esset fati casus, si iste Leontius non foret idem ac Leontius colloquii. Quod ut brevius necnon pressius illustretur, attendamus opus est tantum *a*) ad nominis, *b*) patriae, *c*) officii identitatem; equidem « τοποτηρητὴς πάσης τῆς ἐρήμου » quo designatur Leontius synodi Mennae, necessario respondet titulo « apocrisiarius » qui attribuitur Leontio colloquii cum Severianis. His addere iuvat *d*) Leontium colloquii dici « apocrisiarium Patrum ». Est hoc nomen officii. Atqui quis non videt hancce denominationem convenire omnino cum posteriore titulo

(1) Hefele, *Conciliengesch.*, II, 765.
(2) Mansi, VIII, pp. 884, 911, 931, 942, 954, 992, 1019.

attributo LEONTIO synodi MENNAE, in eoque insuper suam habere explicationem : « ποιούμενος τούς λόγους καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ Ἰορδάνῃ ἁγίων Πατέρων » (1).

His heic protractis, nihil amplius impedimento est, quin hanc inferamus illationem. LEONTIUS, qui adfuit synodo a patriarcha MENNA congregatae, idem est ac LEONTIUS qui colloquio cum Severianis adfuit, et consequenter ac LEONTIUS Byzantinus.

III. — NUM LEONTIUS BYZANTINUS IDEM SIT AC LEONTIUS ORIGENISTA CUIUS MENTIO FIT IN « VITA SABAE »?

CYRILLUS scripsit *Vitam beati Sabae*, abbatis maioris Laurae Ierosolymitanae. Haec vita continetur in opere Cotelerii *Ecclesiae graecae monumenta*, III, p. 220-376. Novimus praeterea praecipuos eiusdem Laurae monachos fuisse :

Δομετιανὸς πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης μονῆς Μαρτυρίου (2). In « Vita Sabae » dicitur p. 360 : « Δομετιανὸς ὁ τῆς Μαρτυρίου ἡγούμενος ». Postea fuit episcopus Ancyranus.

Θεοδώρος διάκονος καὶ μοναχὸς τῆς νέας λαύρας (3). In « Vita Sabae » habetur : « Θεόδωρος ὁ ἐπίκλην Ἀσκιδᾶς, τῶν τῆς νέας Λαύρας ἐξάρχων γεγονώς » (p. 360).

Κασσιανὸς πρεσβύτερος λαύρας τοῦ μακαρίου Σάββα (4). In « Vita Sabae » ceu *abbas* renuntiatur (p. 371).

(1) Mansi, VIII, p. 1019.
(2) Ibid., p. 911.
(3) Ibid., p. 911.
(4) Ibid., p. 911.

Demum in eadem « Vita Sabae » (p. 360) fit praeterea mentio cuiusdam « Leontii » ut socii Domitiani et Theodori. Quocirca quaestio suboritur, quisnam nempe fuerit iste Leontius. Ad rem autem penitus absolvendam, prout nostram decet dissertationem, duo sunt pertractanda, scilicet : primum an « Λεόντιος τοποτηρητής » quem supra demonstravimus esse ipsum Byzantinum, sit pariter idem ac Leontius in « Vita Sabae » renuntiatus; deinde an Leontius « Vitae Sabae » fuerit Origenista : quod si fuerit constabilitum, sequetur Leontium Byzantinum eumdem esse ac Leontium Origenistam.

A) *De identitate Leontii « Vitae Sabae » et Leontii Byzantini.*

Innumera sunt momenta quae, magno robore, meo saltem iudicio, suadent Leontium in « Vita Sabae » relatum, et Byzantinum unum et eumdem esse. Etenim,

1° Argumentum sat probabile ex eo depromitur quod in idem recidant disputatio Constantinopoli habita et colloquium cum Severianis. Narrat Cyrillus in « Vita Sabae » an. 531, mense Aprili, Sabam se Constantinopolim contulisse, ibique cum honore receptum fuisse ab Epiphanio patriarcha, Eusebio presbytero et Cimeliarcha et ab Hypathio Ephesino. Inter socios autem Sabae intererat Leontius. Dum vero Sabas Constantinopoli moraretur, disputationem in ipso imperiali palatio cum Monophysitis habuit, cui et eius socii interfuere. In hac disputatione nonnulli ex Sabae monachis, ceu Theodori Mopsuesteni admiratores, recogniti fuerunt; imo ipse Leontius fuit a Beato Saba uti Orige-

nista declaratus. Legimus enim in « VITA SABAE », p. 344 : « τινὲς τῶν ἀνελθόντων μετ' αὐτοῦ (scil. Saba) μοναχῶν Θεοδώρου τοῦ Μοψουεστίας ηὑρέθησαν ἀντιλαμβανόμενοι, εἰς τὴν Βασιλικὴν μετὰ τῶν ἀποσχιστῶν ἀντιβάλλοντες... ηὑρέθη τίς τῶν μετ' αὐτοῦ μοναχῶν, Βυζάντιος τῷ γενει, Λεόντιος ὀνόματι..., τῶν Ὠριγένους δογμάτων ἀντιλαμβανόμενος ».

Quod si eiusmodi disputatio eadem sit ac collatio cum Severianis, praesto est fundamentum in gratiam identitatis, quam intendimus. Hoc autem maxime verisimile est. Et sane huic disputationi interfuerunt tres viri (1), qui in *actionibus* colloquii recensentur ceu orthodoxae fidei defensores; hi sunt, HYPATHIUS Ephesinus, EUSEBIUS presbyter et chimeliarcha, demum LEONTIUS. Quod si nulla occurrat mentio caeterorum SABAE monachorum, id inde oriri potest quod nempe fuere duntaxat auditores et spectatores.

Huiusmodi autem argumentum quidam disparitate temporis infringere conantur. Dicunt quidem colloquium cum Severianis locum habuisse an. 533, disputationem autem Constantinopolitanam an. 531.

Resp. a) Epocha colloquii cum Severianis haud est penitus certa et determinata. Auctorum alii pro an. 531, alii pro an. 532, alii tandem pro an. 533 opinantur. Inde fit, ut argumenta, quae pro an. 533 militant, minime sint cogentia.

b) Quamvis colloquium cum Severianis habitum sit an. 532 aut 533, minime exinde fit impossibile LEONTIUM SABAE socium et LEONTIUM colloquii unum et eumdem esse. Etenim SABAS Constantinopoli reliquit LEONTIUM « ut haereticum habitum », et sequaces THEODORI

(1) *Vita*, p. 341.

Mopsuesteni. Tempore igitur subsequente disputationem, et SABAE ex Constantinopoli discessum, optime locum habere potuit colloquium cum Severianis.

Transeamus nunc ad argumenta magis directa :

2° LEONTIUS noster sane cum Palaestina commercium utcumque habuisse videtur, siquidem traditur quoque ut « LEONTIUS Ierosolymitanus ». Aliunde tempore quo scripsit libros « ADV. NEST. et EUTYCH. » certe degebat in ampla urbe, ut infertur ex *prologo* (1). Attamen haud se summis philosophis (ἀστειοτέροις) accenset (2). Haec cum ita se habeant, nominatim de LEONTIO « VITAE SABAE » concludere licet, eum utique commoratum fuisse inter Palaestinae eremitas, verum simul fuisse Byzantinum non tantum quoad originem, uti asseritur in « VITA » (p. 344), Λεόντιος Βυζάντιος τῷ γένει, sed insuper et saepe et diu in urbe primaria degisse.

3° Chronologia vitae LEONTII Byzantini consonat chronologiae LEONTII SABAE socii. Re sane vera *a*) LEONTIUS Byzantinus opus « ADV. NEST. ET EUTYCH. » scripsit ante exortam de « tribus capitulis » disputationem; secus huius controversiae necnon epistolae IBAE ad MARIN, scriptorumque THEODORETI contra CYRILLUM mentionem fecisset; — *b*) exaravit Σχόλια inter an. 538 et 544; — *c*) numquam commemorat V^{um} concilium oecumenicum. Porro LEONTIUS SABAE socius e vivis discessit circa an. 543. Iam age : ab an. 520 deinceps, evanescunt vestigia scriptoris LEONTII, in coetu monachorum Scythopolitanorum accensiti; eodem vero tempore LEONTIUS « VITAE SABAE » in Palaestina in lucem se prodit. Inde conspicere facile est LEONTIUM Byzan-

(1) 1268.
(2) 1273 B.

tinum occultatum, sub nomine LEONTII Palaestinensis sese manifestasse.

4° Eadem est utriusque LEONTII agendi ratio. Nam LEONTIUS Byzantinus, una cum suis, Constantinopoli dogmaticam excitavit disputationem; deinde, ut ei finis imponatur, Romam proficiscitur. LEONTIUS autem « VITAE SABAE », postquam animos Palaestinensium eremitarum exagitaverit, auxilium sibi comparaturus in primariam Orientis urbem se recepit.

5° LEONTIUS Byzantinus VITALIANO devinctus erat amicitia, et, eius gratia, aulae erat veluti familiarius. LEONTIUS « VITAE SABAE » in favorem fuit apud EUSEBIUM (πάπας), qui multa apud IUSTINIANUM pollebat potentia, atque, in urbe primaria, pro suo libitu quasi agebat.

6° A vetere traditione edocemur LEONTIUM scriptorem fuisse eremitam. Photius enim scribit : « Λεόντιος ὁ τὴν ἐρημικὴν πολιτείαν καὶ τὸν μονάδα βίον ἑλόμενος » (1). Iterum a titulo codicis LAUDIANI habemus : « Λεοντίου τοῦ ἐρημίτου, — τοῦ μακαρίου Λεοντίου μονάζοντος, — μακαρίου Λεοντίου μοναχοῦ καὶ μεγάλου ἀσκητοῦ. Atqui et omnes SABAE socii eremitae erant et monachi.

7° In « ADV. NEST. ET EUTYCH. » (2) legitur : « καλῶς γὰρ αὐτοὺς εὐλαβὴς καὶ θεῖος ἀνὴρ οὕτως κέκληκεν ». Scholion autem ad marginem appositum addit : « περὶ τοῦ ἀββᾶ Νόννου φησί ». — Iam NONNUS in nova laura degebat, et Origenismi patrocinabatur doctrinis.

8° LEONTIUS « VITAE SABAE » amicus erat THEODORI ASKIDAE, a quo ortum duxit traditio de trium capitulorum damnatione. Atqui LEONTIUS scriptor, quem-

(1) Cod. 1092, *P. G.*, 103.
(2) 1273 C.

admodum et iam Ioannes MAXENTIUS, nondum excitata de tribus capitulis contentione, sollicitum se exhibuit, et strenue adlaboravit pro DIODORI et THEODORI damnatione obtinenda.

9° Nullum quit aptius excogitari fundamentum nullaque occasio disputationis a LEONTIO scriptore contra occultos Nestorianos (1) susceptae quam diversae relationes, quas fovit LEONTIUS « VITAE SABAE » adversus abbatem GELASIUM, qui multo erat in honore apud THEODORUM Mopsuestenum.

10° Demum, uti supra demonstravimus, LEONTIUS scriptor idem est ac LEONTIUS, qui colloquio cum Severianis interfuit. LEONTIUM autem colloquii eumdem esse ac LEONTIUM « VITAE SABAE » vix ac ne vix potest in dubium vocari.

Quibus stabilitis, gressum faciamus ad

B) *Leontius « Vitae Sabae » erat Origenista.*

Ad eiusmodi asserti demonstrationem, viam nobis planemus oportet, summatim recitando quae CYRILLUS Scythopolitanus narrat de Origenistis. Refert igitur CYRILLUS (2) se contulisse, cum epistola unius notissimorum in « Vita Sabae » eremitarum, nempe ἡσυχαστής (scilicet *eremita* [3]), ἐπίσκοπος Ἰωαννης, apud CYRIACUM, ut eum tum epistola, tum ore contra Origenistas commoveret. Huius rei gratia CYRIACUS ipsum de Origenistarum interrogat doctrina. Respondet CYRILLUS « ipsos (Origenistas) sentire « τὰ περὶ προϋπάρξεως καὶ

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », lib. III.

(2) *Vita Cyriaci*, p. 115.

(3) Cf. Novell., 5, edit. Zachariæ, v. Lingenthal, Nr 13, tom. I, p. 63, lin. 17.

ἀποκαταστάσεως δόγματα μέσα τε εἶναι καὶ ἀκίνδυνα » (1). Dignum praeterea notatu est, ibid., p. 118, necnon in « VITA SABAE », p. 360, prudentiores inter monachos novae Laurae, ut sequaces NONNI et LEONTII exhiberi. Simul adnotandum est Origenistas ad GREGORIUM Nazianzenum provocasse. — CYRIACUS, qui primum de haereticorum doctrina interrogaverat, curat statim, pro suis partibus, suum colloquentem instruere, et seriem peccatorum Origenistarum amplificare. Porro sex errores Origenistis adscribebat, scilicet :

1° Φασὶ (Origenistae) μὴ ἕνα τῆς Τριάδος τὸν Χριστὸν εἶναι.

2° Λέγουσι τὰ ἐξ ἀναστάσεως ἡμῶν σώματα εἰς ἀπώλειαν ἥξειν παντελῆ καὶ Χριστοῦ πρώτου.

3° Λέγουσιν, ὅτι οὐκ ἡ τοῦ κόσμου δημιουργὸς ἡ Τριάς·

4° ὅτι τε ἐν τῇ ἀποκαταστάσει δυνήσονται πάντα τὰ λογικὰ μέχρι καὶ δαίμονων δημιουργεῖν αἰῶνας·

5° καὶ ὅτι αἰθέρια καὶ σφαιροειδῆ ἐγείρονται ἡμῶν τὰ σώματα ἐν τῇ ἀναστάσει · οὕτω γὰρ καὶ τὸ τοῦ Κυρίου φασὶν ἐγηγέρθαι·

6° καὶ ὅτι ἴσοι αὐτῷ ἐν τῇ ἀποκαταστάσει γινόμεθα (2).

His, claritatis causa, praepositis, aggrediamur superest demonstrationem praecipui intenti, scilicet, LEONTIUM, in « VITA SABAE » relatum, fuisse Origenistam. Cum autem, ex supra dictis, constet LEONTIUM Byzantinum eumdem esse ac LEONTIUM « VITAE SABAE », inde, ad finem intentum, sufficiet ut ostendamus LEONTIUM nostrum esse Origenistarum coetui accensendum. Iam argumenta, quae huc faciunt, sunt :

1° In « ADV. NEST. ET EUTYCH. » (3) asserit LEONTIUS amicos DIODORI Tarsensis et THEODORI Mopsuesteni ab

(1) *Vita*, p. 116.
(2) Ibid., p. 117 et seq.
(3) 1377 B C., n° XXXIX.

ipso impugnati, ad orthodoxiam DIODORI defendendam, invocasse BASILIUM magnum, quippe qui ad DIODORUM scripserit, eiusque quaedam de Trinitate scripta adprobaverit : « τὸν μέγαν ἡμῖν προτείνουσι Βασίλειον γεγραφότα τε Διοδώρῳ καὶ ἀποδεξάμενον αὐτοῦ τινα τῶν περὶ Τριάδος συνταγμάτων ».

Huic obiectioni respondet LEONTIUS, n° XL, laudibusque celebrat ORIGENEM. Audiamus : « Origenem, inquit, non admirantur, quoniam GREGORIUS, qui a miraculis faciendis cognomentum duxit, in oratione, quam in discessu suo composuit, infinitas laudes eius persequitur. Et quid dico Origenem? Quandoquidem APOLLINARIUS, qui omnino ex adverso ei a veritate aberravit, gloriatur innumerabiles epistolas ad eum scriptas esse ATHANASII magni, et SERAPIONIS, et aliorum, quicumque fuerunt tunc fulgentia sidera et veritatis propugnatores. »

Ad eiusmodi responsum adnotat TURRIANUS ad calcem eiusdem pag. « Etiam hinc liquet LEONTIUM ORIGENIS sectatorem non fuisse, saltem cum haec scriberet, cum ORIGENEM errorum arguat ».

Resp. a) Utique verum est LEONTIUM concedere ORIGENEM a veritate aberrasse; hoc autem nullimode demonstrat ipsum haud fuisse ORIGENIS sectatorem, quandoquidem id, una cum Origenistis IV saec. et quamplurimi Origenistae VI saec. fassi sunt.

b) Adversarii LEONTII sunt ORIGENI infensi; consequitur igitur ipsum LEONTIUM ORIGENIS fuisse ex opposito adseclam.

2° Origenistae Palaestinenses renuntiantur a suis adversariis (1), ut prudentiores. — Animadvertatur

(1) *Vita Sabae*, p. 360; *Vita Cyriaci*, p. 118.

insuper ipsis crimini imputatum fuisse quod nempe, ut superius vidimus, « τὰ περὶ προϋπάρξεως καὶ ἀποκαταστάσεως δόγματα μέσα τε εἶναι καὶ ἀκίνδυνα » sentirent. — Praeterea ad dogma suum palmare fulciendum, recurrebant ad GREGORIUM Nazianzenum, et probabiliter, ad ATHANASIUM et GREGORIUM Nyssenum. Exinde compertum erit Origenistas fuisse theologiae peritos, quippe qui, devincti cum praeclaris IV saeculi theologis, ab eis strenuam cogitandi artem didicerant. Porro difficile admodum est aliquem reperire coetum, cui magis conveniat LEONTIUS scriptor, quam eiusmodi Origenistarum consortio. Etenim LEONTIUM amplam calluisse theologiae doctrinam, clarissime manifestant eius opera.

3° In « ADV. NEST. ET EUTICH. » (1) affert dictum cuiusdam sapientis : « καλῶς εἴρηταί τινι τῶν πρὸ ἡμῶν ἀνδρὶ θεοσόφῳ ». — Quaedam autem ad marginem adnotatio in codd. VATIC. et TURRIANI addit « περὶ Εὐαγρίου ». Porro ORIGENIS sectatorem fuisse monachum EVAGRIUM Ponticum (2), verisimile est, eo vel maxime quod effatum a LEONTIO allatum optime convenit scripto EVAGRII « Περὶ τοῦ βιοῦ γνώστικου », cuius scripti utique mentionem facit ipse EVAGRIUS « De vita practica » (3), cuius tamen nonnisi quoddam superest fragmentum a SOCRATE servatum (4).

4° LEONTIUS vehementer respuit id quod Origenistis exprobrabatur, nempe, *praeexistentiam* naturae humanae Christi ad unionem hypostaticam cum Verbo.

(1) 1285 A B.
(2) Cf. Smith, *Dictionary of Christian biography*, II, p. 422.
(3) Cotelerius, *Eccles. graecae monum.*, III, p. 70.
(4) *H. E.*, IV, 23; *P. G.*, 67, col. 520 A et seqq.

Hoc novimus ex THEODORO Scythopolitano (*P. G.*, 86, col. 233, cap. 2). Abunde autem hoc reiicit LEONTIUS, praesertim in variis locis « EPILYSIS ». Ad rei evidentiam unum sufficiat afferre textum : « οὔτε γὰρ πρὸ τῆς ἑνώσεως τοῦτο (scil. praeexistentiam) λέγειν θεμιτόν· εἴπερ μὴ προδιαπεπλάσθαι τὸν ἄνθρωπον, εἶθ' ὑποδεδυκέναι Θεὸν λέγειν τολμᾷς » (1). Affirmat etiam se in medium compositionem hominis ex animo et corpore adduxisse tamquam exemplum naturarum in Christo unionis, non autem propter *praeexistentiam* aut *simultaneam existentiam :* « οὔτε διὰ τὸ προϋπάρχειν ἢ συνυπάρχειν », κ.τ.λ. (2). Ambo hi duo textus videntur inter se contradictorii; verum bene cohoerent in doctrina Origenistarum. In priore igitur textu videtur LEONTIUS alludere ad corpus Christi humanum (3) cuius praeexistentiam neque ipsi Origenistae admittebant; in posteriore autem videtur praeexistentiam animae humanae saltem non excludere. Attamen declarat LEONTIUS in textu, qui sane inintelligibilis est, nisi censeatur contra Antiorigenistas prolatus, se concedere humanitatem Christi neque prius exstitisse neque prius formatam fuisse : « τὸ μὲν γὰρ μὴ προϋφεστάναι, μηδὲ προδιαπεπλάσθαι (nempe, τὴν τοῦ Κυρίου ἀνθρωπότητα, de qua paulo antea), καὶ ἡμεῖς δώσομεν » (4). Discrepat autem quoad aliud; haud enim concedit, in hypothesi praeexistentiae, fuisse Deo impossibile sese humanitati unire : « οὐδὲ δυνατὸν Θεῷ, καὶ τελείῳ ἀνθρώπῳ οὕτως ἑνωθῆναι, οὐκέτι δώσομεν » (5).

Hinc ex his verbis duo sunt comperta : *a*) quoad *fac-*

(1) 1933 A. — Vid. etiam 1937 A, 1944 A.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1280 D.
(3) Vid. etiam « *Adv. Nest. et Euych.* », 1351 D.
(4) *Epilysis*, 1944 C.
(5) Ibid.

tum Leontius negat naturam humanam prius exstitisse aut prius formatam fuisse; *b*) quoad *possibilitatem* censet contrarium : putat enim Verbum potuisse sese homini, etiam perfecto, unire. Nemo autem non videt hanc considerationem convenire cum principio « τὰ περὶ προϋπάρξεως καὶ ἀποκαταστάσεως δόγματα μέσα τε εἶναι καὶ ἀκίνδυνα ».

Tandem advertendum est, apud Leontium, animam videri esse essentiam in se subsistentem; ex quo, etsi eius praeexistentiam nullatenus admisisset, adhuc tamen intelligitur cur adversarii ei hanc imputarent suppositionem. Ait enim, ad hanc rem : « τί γὰρ λείποι τῇ ψυχῇ, χωριστὴν εχούσῃ καὶ ἰδίαν ζωὴν, πρὸς τὸ εἶναι οὐσίαν ἀσώματον αὐτοκίνητον » (1).

5° Huc revocare iuvat multiplicem consensum inter Origenem et Augustinum respectu universalis ad peccatum propensionis, necnon, alia ex parte, influxum Augustini in ipsum Leontium. In cuius gratiam in mentem revocemus sat erit verba Leontii, iam, supra (p. 13) allata. Ait enim : « οὐ γὰρ ἔστιν ἡ γέγονε ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος ἀνθρώπου ψυχὴ ἑκουσίου τε ἢ ἀκουσίου ἁμαρτίας καταρά (2). » Iam cum hac propositione merito componi queunt doctrinae Origenistarum.

6° Accedit quod inter adversariorum accusationes contra Origenem eiusque sectatores, et haec profecto reperitur, Patrem nempe Filio maiorem exhiberi. Ita Iustinianus ad Mennam (3). Porro ad hoc alludere videntur verba haec, quae habet Leontius circa mente divisionem (ἐπινοίᾳ διακρίνειν) : « ὡς γὰρ τὸ κατ' ἐπίνοιαν

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1281 B.; — ibid., 1284 C D, 1289 D.
(2) Ibid., 1332 C.
(3) Mansi, IX, p. 524 E.

μεῖζον ἐπί τε πατρὸς καὶ υἱοῦ, τῇ τοῦ αἰτίου λεγόμενον φύσει, τὸ τῇ φύσει μεῖζον οὐ συνεισάγει· οὕτω τὸ κατ' ἐπίνοιαν διαίρετον, τὸ κατ' ἐνέργειαν οὐ συνεισάγει ποτέ » (1).

7° Ultimo adnotandum est opus « Σχόλια Λεοντίου » in primitivo textu haud superesse, verum fuisse a duobus auctoribus interpolatum. Eiusmodi factum eo maioris est momenti, quod forsitan duo interpolatores, saltem autem unus, in Palaestina vivebant, et auctor unius interpolationis, nempe abbas THEODORUS, cui attribuendum est opus « DE SECTIS » aperte erat Origenistis infensus. Hinc, si ad evertendam nostram propositionem obiiciat quis in « DE SECTIS » reperiri considerationes Antiorigenistas (2), respondere possumus ėiusmodi textus, minime provenire a vetere LEONTII opere « Σχόλια », verum foetum esse interpolatoris abbatis THEODORI.

His igitur mature ponderatis, arbitramur LEONTIUM Byzantinum, seu LEONTIUM, cuius mentio fit in « VITA SABAE » fuisse revera ORIGENIS adseclam, eiusque doctrinis imbutum.

(1) *Epilysis*, 1933 B.
(2) 1264 B.

PARS SECUNDA — CRITICA

DE SCRIPTIS LEONTII

Compendio quidem discussis maioris momenti negotiis gestisque, quae vitam LEONTII ac personam respiciunt, reliquum est, pro ordinis ratione, ut et de eius scriptis nonnulla disputemus. Porro, prouti ex diversis constat scriptorum ecclesiasticorum operum collectionibus, imprimis vero ex *Patrologia* MIGNE, quamplurima sunt scripta, quae sub nomine saltem LEONTII vulgata fuere, quaeque praeterea ei vulgo attribuuntur. Diligenter intuenti, apparet saepe eiusmodi scripta rerum consecutione atque simul inter se connexione carere. Exinde propterea arduum admodum fit stricte determinare atque circumscribere quaenam scilicet partes LEONTIO in compositione huiusmodi scriptorum sint reipsa adscribendae. Hac igitur ex parte nova sane atque gravi difficultate critica obruitur studiosi mens.

Quod autem ad nos adtinet, pro fructu nostrarum

inquisitionum, censemus scripta omnia, quae utcumque Leontio, ceu auctori, adscribuntur, in quadruplicem classem commode partiri posse, imo et debere; videlicet :

I Scripta genuina,
II Scripta dubia,
III Scripta interpolata,
IV Quaedam fragmenta.

Divisione praefixa, sit :

CAPUT PRIMUM.

De scriptis genuinis.

Tria sunt Leontii scripta, quae communiter ut genuina recipiuntur, nimirum :

I « Libri adversus Nestorianos et Eutychianos ».
II « Adversus argumenta Severi ».
III « Triginta capita adversus Severum ».

I. — Libri adversus Nestorianos et Eutychianos (1).

A) *Divisio operis.*

Opus « Adversus Nestorianos et Eutychianos » dempto prologo (προθεωρία, col. 1268-1272), in tres dividitur libros.

Liber I. — « Confutatio utriusque fictionis inter se

(1) « Λόγοι γ' κατά Νεστοριανῶν καὶ Εὐτυχιανιστῶν ». (Migne, *P. G.*, tom. 86, col. 1268-1369.)

contrariae, Nestorii et Eutychetis, circa Divinitatem, Christi et humanitatem ».

(Λόγος α' : « τῆς κατὰ τὴν θεότητα τοῦ Κυρίου καὶ ἀνθρωπότητα ἐναντίας δοκήσεως Νεστορίου καὶ Εὐτυχοῦς ἔλεγχος καὶ ἀνατροπή ». — Col. 1273-1316.)

Liber II. — « Contra illos e nostris qui corruptae Incorrupticolarum senteniae adhaertent ».

(Λόγος β' : « πρὸς τοὺς ἐκ τῶν ἡμετέρων προσθεμένους τῇ κατεφθαρμένῃ τῶν ἀφθαρτοδοκητῶν ». Titulus est mancus; integer autem et clarior est, prout proponitur in prologo (col. 1269 D) : « πρὸς τοὺς ἐξ ἡμῶν προσθεμένους τῇ κατεφθαρμένῃ γνώμῃ τῶν Ἀφθαρτοδοκητῶν διάλογος ». — Col. 1316-1357.)

Liber III. — « De Nestorianorum impietate secreto tradita principio et de eius parentibus triumphus »; vel ut habent alii codd. : « Contra illos, qui simulabant se Chalcedonensem synodum recipere, cum essent Nestoriani »; demum apud Migne : « Adversus Incorrupticolas, qui arcanam et primigeniam Nestorianorum impietatem sectantur, et de hac eadem haeresi inquisitio et triumphus ».

(Λόγος γ' : « [Κατὰ ἀφθαρδοκητῶν (1)] τῆς ἀποῤῥήτου καὶ ἀρχοει-[rectius αι]-δεστὲρας τῶν Νέστοριανῶν ἀσεβείας καὶ τῶν ταύτης πατέρων φώρα καὶ θρίαμβος ». — Col. 1357-1396.)

B) *Argumentum.*

Breviter describamus opus est ea quae in hoc opere pertractantur.

(1) Adnotat Loofs (p. 9.) duo haec vocabula uncis inclusa pertinere ad titulum lib. II, sicut ostendit titulus latinus lib. II et III textus latini apud Canisium, et expostulat ipsummet argumentum.

Lib. I. — In hoc libro tria potissimum evolvuntur argumenta, quae nihil aliud sunt quam responsiones obiectionibus Nestorianorum et Eutychianorum.

1° Arguunt haeretici ex analogia *hominis,* seu *compositi humani;* ad quam duo faciunt: primo hanc reiiciunt analogiam propterea quod unitas in Christi persona alia est ac in humano *ego;* deinde, eadem innixi analogia, negant perfectam in Christo duarum naturarum integritatem.

Resp. — Comparatio haec claudicat, ait Leontius, ambobus occurendo argumentis : caeterum haec thesis erronea est, quoniam partes hominis sunt in se perfectae, sed imperfectae respectu *totius* (1).

2° Urgent adversarii eamdem analogiam : siquidem, quemadmodum anima humana per sui cum corpore unionem, fit patibilis, ita et Verbum, si revera realis datur unio inter naturam divinam et humanam.

Resp. — Falsa illatio. Nam eo tantummodo anima potest una cum corpore pati, quia iam in se patibilis est (2).

3° Sed, instant adversarii, nonne positio duarum naturarum in Christo inducit quoque positionem duarum hypostaseon?

Resp. — Minime gentium; ad hocce praecludendum consectarium, sufficit et requiritur ut sedulo distinguantur φύσις et ὑπόστασις (3).

Quibusdam aliis interpositis, in quibus confutat monophysismum et *unionem per operationem* (ἕνωσις

(1) 1280 B-1284 A.
(2) 1284 B-1285 B.
(3) 1285 B-1288 C.

κατ' ἐνέργειαν) Nestorianorum (1), lib. I absolvit SS. Patrum testimoniis (2).

Lib. II. — Nihil aliud continetur in lib. II nisi dialogus cum Aphthardoceta in quo quatuor distingui queunt.

1° Conatur stabilire, arguendo ex Redemptionis dogmate, identitatem nostrae naturae et humanae Christi naturae (3).

2° Posito discrimine circa modum Incarnationis remotaque Docetismi doctrina, sententia de passionibus evolvitur (4).

3° Abunde exagitat quaestionem de passibilitate aut impassibilitate humanae Christi naturae (5).

4° Post quasdam adnotationes, affert, pro more suo, seriem Patrum testimoniorum (6).

Lib. III. — Ut merito animadvertit Loofs (p. 28) haud prae se fert lib. III indolem dogmatico-polemicam, verum potius prosequitur Nestorianorum astutias. Praemisso prologo, liber hic 42 complectitur capita, in quibus, quae notatu digna sunt, hic referimus :

1° Describit Nestorianorum simulationes. Ore quidem fingunt se non recipere Theodorum Mopsuestenum, neque Diodorum Tarsensem : simplicibus proponunt synodum Chalcedonensem, dum aliter ac illa sentiunt. Asserunt pro parte sua quosdam habere Patres, sicque sive monachos, sive saeculares decipere et illaqueare moliuntur (7).

(1) 1297 C-1305 D.
(2) 1309 C-1316 B.
(3) 1323-1326 C.
(4) 1329 D.
(5) 1337 B-1341 D.
(6) 1353 C-1357 A.
(7) Cap. 1-6.

2° Controversiam aggreditur contra THEODORUM : a cap. 7-37 exponuntur eius dogmaticae et exegeticae haereses. Media THEODORI sufficiunt ad eius astutiam patefaciendam. A THEODORO ad NESTORIUM transit. Nullatenus valent amicae epistolae Patrum ad DIODORUM, haeresis Nestorianae fautorem, ipsum neque THEODORUM contra accusationes praemunire. In NESTORIO revivit hostis pluries profligatus et victus apud PAULUM Samosatenum. Hinc DIODORUS et THEODORUS feriuntur, etsi nunquam sint diserte reprobati, eadem damnatione ac eorum Magister NESTORIUS (1).

3° Sequitur conclusio, ac Patrum, sicut anterius, afferuntur testimonia, non tantum autem Patrum orthodoxorum, verum et THEODORI, DIODORI et PAULI Samosateni (2).

C) *Auctor.*

Quae de auctore tradi queunt, huc veniunt. Nunquam in decursu operis eius nomen declaratur. Attamen auctor erat apprime monachus aut clericus, ut ex eius colligitur professione. Declarat enim « viros studiosos, approbantes disputationes, quas frequenter habuit, eum hortatos esse, ut ipsis quasdam scripto traderet designationes dubitationum et solutionum, de quibus saepe disseruerant » (3). Clarius idem innuit in cap. 4 in quo patefacit Nestorianorum astutias : « Quando aliquem illaquearunt, inquit, si monachus sit, hortantur ad legendos libros gentilium... et postquam simplici-

(1) Cap. 42, col. 1382 A B C.
(2) 1384 B-1396.
(3) 1268 B.

tatem ordinis (evidenter *monastici*) irriserunt, quod nihil sit ieiunium, vel vigiliae, vel secessus... ad mutandum habitum hortantur, quod sit ad studium virtutis politicae... impedimentum; promittunt se in ordinem clericorum eum cooptaturos... modo fiat particeps impietatis eorum » (1).

Posterius verisimilius est ipsum fuisse monachum, non autem clericum. Alia enim indicia colligendo, liquet inferre ipsum fuisse monachum, a Nestorianis fuisse deceptum, tandem eius conscientiam monasticam iugum excutiisse : « Illi vero (Nestoriani), ait, me tanquam caecum alicuius viae cupidum nacti, conati sunt in barathrum impietatis suae deturbare. Sed adfuit mihi superne gratia » (2).

D) *Epocha.*

Etsi nequeamus praecise praedefinire epocham, et potissime annum in quo eiusmodi opus exaratum fuit, nihilominus circumscribendo limites cuiusdam temporis lapsus, cum certitudine valemus epocham assignare eius compositionis. In cuius gratiam duos determinabimus terminos, scilicet, *a quo* et *ante quem*.

1° *Terminus a quo.* Per terminum *a quo* intelligimus annum ultra quem non licet protrahere operis compositionem, seu in quo potuit citius opus hoc exarari. Hoc praeposito, asserimus eiusmodi opus citius compositum fuisse in 20° anno V saeculi, et, proinde, haud esse possibile altius ascendere.

(1) 1361 C.
(2) 1360 A.

Etenim in introductione ad lib. II (1), refert auctor discussionem inter SEVERUM Monophysitam, episcopum Antiochaenum, et IULIANUM Halicarnassensem : « Cum enim, ait, SEVERUS et IULIANUS, duo initia unius impietatis, inter se dissiderent, stulte quidem, quoad propria principia, cordate vero quoad ipsam veritatem, et de corruptibili et incorruptibili concertarent... ». Porro contentio inter SEVERUM et IULIANUM non diu post reactionem antimonophysitam, quae subsequuta est mortem imperatoris ANASTASII, mense Iulio, an. 518, finita est (2).

Idipsum alio textu evincitur. Loquitur auctor (3) de Ecclesia primaria Syrorum hunc in modum : « τῆς πάλαι μὲν Ἀντιόχου, νῦν δὲ Θεοῦ πόλεως καλουμένης ». Iam denominationem *Theopolis* non accepit Antiochia nisi post terraemotum, qui advenit die 29 Novembris an. 528 (4).

Adhuc ulterius progredi possumus propiusque ad limites solutionis accedere. Itaque idem opus non fuit ante an. 529 compositum. Quod sic innuitur. Loquitur de magno DIONYSIO « μέγας Διονύσιος » (5). Noscebat igitur auctor noster pseudoareopagitam. Alia autem ex parte exploratum est in colloquio cum Severianis (an. 531) oratorem orthodoxorum, nempe HYPATHIUM Ephesinum, dubitasse de genuitate scriptorum Areopagitae (6). Hinc sat probabile est LEONTIUM inter orthodoxos fuisse unum eorum qui primum Areopagitam noverunt. Difficile igitur admodum est compo-

(1) 1317 C.
(2) Héfélé, II, § 233.
(3) 1364 D.
(4) Cf. Theophanes, edit. Boor, 1881, I, p. 177 et seqq.
(5) 1288 C, 1304 D.
(6) Mansi, VIII, p. 821 D.

sitionem operis multum removere ab an. 531 in quo vix mentio occurrebat operum pseudoareopagitae ut dubiorum.

2° *Terminus ante quem*. Per istiusmodi terminum intelligimus annum ante quem fuit necessario opus exaratum, seu infra quem nequit descendere eius compositio. Atque affirmamus necessario fuisse compositum ante an. 553, imo ante primum edictum IUSTINIANI contra tres capitulos (an. 544), quod maxime intendimus. Nam exhibetur (1) synodus Chalcedonensis tanquam « τελευταία πασῶν... ἁγιῶν συνόδων σφραγίς ». Deinde declaratur (2) DIODORUM et THEODORUM nondum fuisse damnatos. Innuitur ab ipsomet argumento. Et sane post primum edictum contra tres capitulos, haud potuisset auctor asserere (3) in lucem se prodere occulta adseclarum THEODORI et DIODORI vitia; haud potuisset censere, exscribendo textus ex scriptis THEODORI et DIODORI (4), se in medium quid adducere, quod ipsi tantum, olim Nestoriano, notum erat (5). Tandem, tempore contentionis de tribus capitulis, haud silentio praeteriisset epistolam IBAE ad MARIN, necnon scripta THEODORETI contra CYRILLUM.

His omnibus simul perpensis, arbitramur tueri posse libros « ADV. NEST. ET EUTYCH. » fuisse exaratos circiter inter an. 529 et 544.

(1) 1381 A.
(2) 1381 A, cap. 42.
(3) 1354 C.
(4) 1383 et seqq.
(5) 1377 B.

II. — ADVERSUS ARGUMENTA SEVERI (1).

A) *Argumentum.*

Attente consideranti liquido perspicuum fit opus « CONTRA ARGUMENTA SEVERI » nihil aliud esse profecto nisi complementum librorum « ADV. NEST. ET EUTYCH. ». Quae igitur sit amborum connexio, quaeque eapropter conceptuum explicatio atque evolutio, ita exponi quit. In lib. I. « ADV. NEST. ET EUTYCH. », aequa lance confutaverat LEONTIUS Nestorianos et Monophysitas. In lib .II eiusdem operis impetierat singularem Monophysitarum partem, nempe Aphthardocetas. In lib. III, item speciatim impugnaverat Nestorianos. Hactenus igitur praetermiserat se singillatim vertere ad Severianos. Hoc autem praesenti supplet scripto.

Opus est Dialogus inter quemdam Severianum (ἀκέφαλος) et orthodoxum. Severianus proponit sua dubia (ἀποῤῥήματα aut ἀποῤῥήσεις), et orthodoxus ea discutit. Iam eiusmodi dubia et solutiones ad 8 capita, uti notat Loofs (p. 35-36), reduci queunt.

1° Assumpsitne Christus humanam naturam individuam? Si ita, quaenam supererit distinctio inter naturam (φύσιν) et hypostasim (ὑπόστασιν)?

2° Si *hypostasis* est in se quid subsistens (καθ' ἑαυτὸ ὑπάρχον), quomodo cum hoc componi poterit dualitas naturarum? *Unitas* tantum est *individuum;* alii numeri progignunt pluralitatem.

(1) (Ἐπιλύσις τῶν ὑπὸ Σευήρου προβεβλημένων συλλογισμῶν : nempe « Solutio argumentorum a Severo propositorum », col. 1916-1945.)

3° Si in Trinitate admittitur distinctio inter *naturam* et *hypostasim*, alia terminologia mysterio Incarnationis aptetur oportet.

4° Calumnia est si « una natura composita (μία φύσις σύνθετος) accipiatur ceu idem ac una natura simplex » (μία φύσις ἁπλῆ).

5° Respectu omnium individuorum, loquimur de una natura. Quare non de Christo?

6° Quod aliqui Patres loquantur de duabus in Christo naturis, haud negamus. Verum, quod eorum tempore erat opportunum, periculosum necnon inefficax videtur contra praeposteram Nestorianorum de duabus naturis interpretationem.

7° Nos etiam duas noscimus atque profitemur naturas, sed tantum *ex mentis conceptu* (μόνῃ τῇ ἐπινοίᾳ). Quoniam in re est utriusque confusio (σύγχυσις). Et quomodo vos, per acceptionem *unius hypostasis*, exprobrationem vitatis *confusionis* (τῆς συγχύσεως)?

8° Quomodo intelligenda sit *unio* (ἕνωσις), ex qua excluditur *una natura*, quin recipiatur Nestorianorum de *duobus hypostasibus* consequentia?

B) *Auctor*.

Eumdem esse ac auctorem librorum « ADV. NEST. ET EUTYCH. » sequentibus demonstratur rationibus.

1° *Ex prooemio* operis. Exorditur enim declarando se iam decertasse contra Nestorianos et Eutychianos (πρὸς τοὺς ἀπὸ Νεστορίου τε καὶ Εὐτυχοῦς). Attamen opus est ut novis confutentur argumentis (Ξένοις τισὶ... τὰ νῦν αὐτοὺς κεχρῆσθαι). Imo haud sunt penitus nova argumenta, sed intimius et penitius considerantur ea quae

in praecedentibus confutationibus utique continentur, ast non sunt subtiliter excussa (τὰ ἐν ἐκείνοις μὲν περιεχόμενα, οὐκ εἰς λεπτὸν δὲ ἐξητασμένα) (1). Praeterea, non tantum revocantur praecedentes disputationes contra Nestorianos et Eutychianos, sed et quaedam verba proferuntur, quae iam inserta fuere in libris « Adv. Nest. et Eutych. ». Verba haec sunt « ψευδώνυμος γνῶσις » (2).

2° Clare et explicite designantur libri « Adv. Nest. et Eutych. »; haec enim occurrunt verba, « ἐν τῷ πρώτῳ δὲ λόγῳ τῆς ἐναντιοδοκητῶν » (3). Evidenter his remittimur ad lib. I « Adv. Nest. et Eutych. » (4). Habemus enim « πρῶτος λόγος » et « ἐναντία δοκήσεως », quae reperiuntur in titulo lib. I « Adv. Nest. et Eutych. ».

3° Evincitur ex titulo ipso « *Solutio* » (Ἐπίλυσις). Idem vocabulum et in eodem significatu adhibitum fuerat in lib. « Adv. Nest. et Eutych. ». Nam introductionem lib. I absolvit declarando se iam vana adversariorum contra veritatem figmenta esse diluturum : « διαλῦσαι τὰς ματαίας αὐτῶν κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπινοίας » (5).

4° Accedit maxima conformitas, a) in modo argumentandi, b) in ipso sermone, c) in explicatione dogmaticarum explanationum, inter duo opera.

C) *Epocha.*

Nihil certi quoad hanc rem noscere possumus. Quod autem ad maiorem accedit probabilitatem est opus

(1) 1916 C.
(2) Cf. « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1269 B et 1316 D.
(3) 1936 C.
(4) 1273.
(5) 1276 D.

« Adversus argumenta Severi » aliquot tempus post lib. III « Adv. Nest. et Eutych. » fuisse exaratum.

III. — Triginta capita adversus Severum (1).

A) *Argumentum*.

Opus hoc, in suo obiecto spectatum, nihil aliud est, ut caeteroquin eius titulus conspicue indicat, quam series triginta argumentorum, more aristotelico, nimirum in forma syllogistica, quibus impugnatur error Severi, scilicet Monophysismus. Ad penitiorem operis notitiam obtinendam, dubio procul, opus foret ob oculos ponere substantiam singulorum capitum, et eapropter totam seriem perlustrare. Quoniam autem in tertia parte, pro germana Leontii doctrinae expositione, necesse erit frequentius « Triginta capita » adire, ideo a latiore impraesentiarum operis analysi supersedemus, ne in inconveniens incurramus dicta repetendi. Itaque, ut quaesito nonnihil etiam nunc satis fiat, animadvertimus auctorem « Triginta capitum » ex triplici veluti fonte adversus Severum, ad Monophysismum refellendum, arguere. 1° *ex principiis directis*, quando scilicet movendo ab aliquibus philosophiae dictaminibus, forsan tempore suo, communiter receptis, falsitatem infert Monophysismi; 2° *ex concessis ab ipsis adversariis*, quando videlicet, usurpatis quibusdam

(1) « Τὰ τριάκοντα κεφάλαια κατὰ Σευήρον », col., 1901-1916.
Titulus versionum latinarum : « Dubitationes hypotheticae et definientes contra eos, qui negant esse in Christo post unionem duas veras naturas ».

propositionibus, quas, ceu veras, retinebant Monophysitae, denuo ostendit absurdam esse eorum doctrinam; 3° *ex pessimis consectariis*, quae, semel admisso Monophysismo, necessario sequerentur.

B) *Auctor.*

Nullo negotio probatur auctorem « Triginta capitum » eumdem esse ac auctorem duorum superiorum operum.

1° Hoc imprimis colligitur ex operis conclusione. Ibi enim profitetur animo ei fuisse, in exarando eiusmodi opere, tradere *studiosioribus* occasionem et semen perfectioris retractationis : « ἀφορμὴν δὲ καὶ σπέρμα τοῖς φιλοπονωτέροις ... καταλιπεῖν » (1). Vox autem « φιλοπονωτέροι » illos indicat qui propensionem simul et otium pro ampliore studio habent. Atque, quis audebit confidere se, aliis, quibus praesto sunt maiora pro diligentiore opera otia, argumenta suppeditare, quae vix incipientibus conveniunt, cuiusmodi sunt XXX capita? Perfectissime vero eiusmodi verba intelliguntur ab ore prolata auctoris fusioris operis, id est, librorum « Adv. Nest. et Eutych. ».

2° Insuper eadem conclusio bene cohaeret cum prologo librorum « Adv. Nest. et Eutych. » (2). Hoc autem bifariam obtinet. Imprimis quidem in praefato loco operis « Adv. Nest. et Eutych. », auctor perhibetur ut « *praeclarus disputans* ». In conclusione autem « XXX capitum » quam prae manibus habemus, sat indicatur indoles disputationis. Deinde, sive in prologo libr. « Adv. Nest. et Eutych. » (linea 4), sive

(1) 1916 B.
(2) 1268 B.

in conclusione « XXX CAPITUM » (A, linea 14) idem occurrit vocabulum « ἐπαπορήσεις ».

3° Evincitur ex identitate rerum quae pertractantur cum in « XXX CAPITIBUS » tum in binis praecedentibus operibus. Ad cuius illustrationem, specialem instituimus parallelismum (1).

Ex Triginta capitibus.	**Ex libris** « ADV. NEST. et EUTYCH. » et « EPILYSIS. »
Cap. 2 (col. 1901).	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (col. 1280 A B).
Cap. 7 (col. 1904).	« *Epilysis* » (col. 1921 A B).
Cap. 8 (col. 1904).	« *Epilysis* » (col. 1920 A-D).
Cap. 9 (col. 1904).	« *Epilysis* » (col. 1937 D).
Cap. 11 (col. 1904).	« *Epilysis* » (col. 1920 D, 1921 B, 1924 A B, 1937 A;) — et « *Adv. Nest. et Eutych.* » (col. 1276 C).
Cap. 15 (col. 1905).	« *Epilysis* » (col. 1932 B); — et « *Adv. Nest.* et *Eutych.* » (col. 1292 B).
Cap. { 20 (col. 1908). 21 (col. 1908). 22 (col. 1908). 23 (col. 1909). }	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (col. 1317 D et seqq.).
Cap. 25 (col. 1909).	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (col. 1288 A-C, et 1293 AB).
Cap. 26 (col. 1909).	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (col. 1301 D, et 1304 A).
Cap. 27 (col. 1912).	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (col. 1280 CD, et 1292 A B).

(1) Eiusmodi parallelismum innuit Loofs, p. 77 et seqq.

C) *Epocha.*

Nihil possumus determinare cum certitudine. Cum « XXX CAPITA » intimam habeant, ut ex superius dictis constat, connexionem simul cum lib. « ADV. NEST. ET EUTYCH. » et « EPILYSI » probabilius haud longo temporis spatio post illa duo opera, composita fuerunt.

CAPUT SECUNDUM.

De scriptis dubiis.

ADVERSUS FRAUDES APOLLINARISTARUM.

(Opus breviter sic denominatum.)

Graece : « πρὸς τοὺς προφέροντας ἡμῖν τινα τῶν Ἀπολλιναρίου ψευδῶς ἐπιγεγραμμένα εἰς ὄνομα τῶν ἁγίων Πατέρων ». (Col. 1948-1976.)

A) *Argumentum.*

In hoc opere sibi proponit auctor ostendere pleraque ab « Apollinaristis aut Eutychianis aut Dioscorianis », defensoribus synodi Chalcedonensis proposita testimonia GREGORII Thaumaturgi, ATHANASII et IULII Romani, nihil aliud revera esse quam scripta APOLLINARII falso praefatis Patribus attributa. Unde disputat potissimum:

1° De scripto cuius titulus « κατὰ μέρος πίστις » GREGORIO Thaumaturgo adscripto (1),

(1) Mai, *Script. vet.*, nov. coll., VII, p. 170-176.

2° De quibusdam epistolis Iulio Romano adscriptis,

3° De scripto cuius titulus « περὶ σαρκώσεως λόγοι » Athanasio adscripto.

B) *Origo.*

Sequentibus rationibus demonstrat auctor eiusmodi fragmenta promanare ex fonte apollinaristico :

1° Col. 1948 B-1952 A, prima, quae afferuntur testimonia, inscribuntur : « Οὐαλεντίνου Ἀπολλιναριστοῦ κεφάλαια ἀπολογίας ». Iam in hac testimoniorum serie, duo maxime notatu digna sunt loca ex epistola Apollinarii ad Dionysium, cuius initium est « admiror », « Θαυμάζω » (1). Iam ambo hi textus, qui huc ut ad epistolam Apollinarii pertinentes proponuntur, reipsa non sunt Apollinarii, sed, uti ostendit Cl. Lagarde (2), reperiuntur in prima epistolarum Iulio Romano adscriptarum. Hoc ergo intelligi nequit nisi supponendo Apollinaristam Valentinum hancce primam epistolam Iulio attributam habuisse ut unam Apollinarii.

2° Evincitur ex specialibus indiciis. In eodem opere Valentini, a) Professio fidei ipsius Valentini praebetur ut professio Apollinarii eiusque amicorum ; « Ἀπολλινάριος καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ τάδε φρονοῦμεν περὶ τῆς θείας σαρκώσεως » (3) ; — b) affertur quaedam Iobii episcopi Apollinaristae item fidei professio : « Ἐγὼ Ἰόβιος ἐπίσκοπος » (4). Atque, uti demonstravit cl. Gaspari (5),

(1) 1949 B.

(2) Titi Bostrensis, quae ex opere contra Manichaeos,... servata sunt, 114, 3-5; 115, 38-116, 4.

(3) 1952 A.

(4) 1952 C.

(5) *Alte und Neue Quellen*, p. 91 et seqq.

ambo haec loca arctissime sunt cum addubitatis Gregorii, Athanasii et Iulii scriptis arctissime connexa. Igitur maxime verisimile est eiusmodi textus ad dubia haec scripta pertinere; et nihilominus ipsi Apollinario et Apollinaristae Iobio attribuuntur.

3° Col. 1960 A-1969 A, affertur fragmentum epistolae « Timothei Apollinaristae episcopi Beryti ad Homonium episcopum Apollinaristam, in quibus sunt testimonia Apollinarii ». Porro in istiusmodi fragmento pronum est detegere loca amissarum Iulii epistolarum, ut perspicue apparet ex brevi parallelismo, quem heic subiicimus.

Ex fragmento Timothei.	**Ex epistolis Julii.**
Col. 1961 A, linea 7. Ἅγιον. Ἐξ ἀρχῆς καλῶς ὁμολογεῖται κατὰ τὸ σῶμα ὁ Χριστός.	ἅγιον. Ἐξ ἀρχῆς γέννημα καλῶς ὁμολογεῖται (1).
Ibid., linea 9. καὶ οὐκ ἔστιν ἰδιώς κτίσμα τὸ σῶμα εἰπεῖν.	Καὶ οὐκ ἔστιν ἰδίως κτίσμα κ. τ. λ. (2).

C) *Auctor.*

Quaestio de auctore operis « Adv. fraud. Apollin. » remanet dubia. Etenim ex rationibus, quae ad propositum afferri queunt, quaedam militant pro huius auctoris identitate cum auctore trium scriptorum supra recensitorum, quaedam autem eiusmodi identitati obstant. Veritatis ergo, absque animi partibus, utriusque ordinis rationes exponere contenti erimus.

1° *Pro identitate.*

a) Seria antiqua codicum traditio coniungit opus

(1) Lagarde, op. cit., p. 118, 37-122, 25.
(2) Ibid., p. 119, lin. 9-12.

« Adv. fraud. Apollin. » in eadem collectione ac tria opera genuina, de quibus in primo capite disseruimus. Ita potissimum codd. Turriani et Vatic. (1).

b) Ex modo procedendi. Sub hoc respectu magnam habet similitudinem cum lib. III « Adv. Nest. et Eutych. »; maxime vero quoad textus (Χρήσεις) excerptos ex Theodori Mopsuesteni et Diodori Tarsensis scriptis.

c) Ex analogia conclusionis operum « Adv. Nest. et Eutych. » et « Adv. fraud. Apollin. ». Idem est conclusionis initium (Οἶμαι) in utroque opere (2).

d) Auctor lib. « Adv. Nest. et Eutych. » cognoscit historiam Ecclesiasticam Timothei Apollinaristae : « εἰ δὲ τίς τὴν ὅλην μετὰ χεῖρας λάβοι, ἣν ὁ γνώριμος Ἀπολλιναρίου Τιμόθεος ἐκκλησιαστικὴν συντάττει ἱστοριάν » κ.τ.λ. (3). Aliunde quod auctor « Adv. fraud. Apollin. » scripta noscat eiusdem Timothei, luculenter ex modo dictis est exploratum.

e) Neque quid identitati opponi potest, ut levius quidam autumant auctores, ex parte epochae compositionis operis. Quod ut rite capiatur, simulque ostendatur haud posse exinde enasci difficultas, iuvat hic paululum morari.

Ut nobis viam planemus solutioni quam prosequimur, praesto est quoddam indicium. Legitur enim, col. 1969 B : « τοῦ τῆς Σιδωνίων Θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Ἀνδρέα ». Age iam; episcopus Andreas ignotus erat synodo Tyri (an. 518 [4]. Inde certum est nullatenus opus hoc compositum fuisse diu ante an. 518. Ex

(1) Loofs, p. 20.

(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1396 A, et « *Adv. fraud. Apollin.* », 1973 C.

(3) 1377 C.

(4) Cf. Lequien, *Oriens christianus*, II, p. 813.

alia parte ne nimium infra an. 518 descendamus duo obstant : a) titulus « Θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου » quem ANDREAE impertitur auctor. Ex quo videtur ANDREAM episcopum, quando opus « ADV. FRAUD. APOLLIN. » exaratum fuit, adhuc inter vivos versasse, secus, probabilius posuisset « τοῦ μακαρίου ἐπισκόπου »; b) plenum de Severianis silentium, qui tamen non parum interpolationibus Apollinaristarum utebantur : hinc autem ab anno 520, a quo rumor a Severianis excitatus animos invadebat, haudquaquam eos penitus reticuisset.

Itaque his perpensis, nulla incurritur temeritatis nota, dum concluditur opus, quod praeoccupamus, compositum fuisse ante an. 520, antequam scilicet Severiani rumore mentes disturbarent. Aliunde, in autumno an. 511 congregata fuit Sidoni synodus Monophysitarum (1). Quam maxime probabile est tunc temporis ANDREAM, utpote SEVERO infensum (2) fuisse episcopum Sidoni. His omnibus conlatis, verisimile est opus, quo de agitur, compositum fuisse inter an. 511 et 520.

Hinc conspicitur nihil ex hac parte obstare quominus auctor operis « ADV. FRAUD. APOLLIN. » idem sit ac auctor lib. « ADV. NEST. ET EUTYCH. » qui, uti supra diximus, exarati fuere inter an. 529 et 544.

2° *Contra identitatem.* Duo sunt praesertim momenta, quae in hanc partem inclinant.

a) In lib. I « ADV. NEST. ET EUTYCH. », in prooemio ad auctoritates (χρήσεις) Patrum, declarat auctor se nullum usurpasse testimonium dubium : « τρανωτάτας καὶ

(1) Mansi, VIII, p. 371.
(2) Ibid., p. 1082.

ἀναμφιλέκτους μαρτυρίας εἰσκεκομίκαμεν » (1). Sed, inter cetera, ibidem citat textum ex quarta apocrypharum Iulii epistolarum (2), quam, in « Adv. fraud. Apollin. » (3), tradit tanquam epistolam Apollinarii.

b) In « Adv. fraud. Apollin. » (4) vocabulum « ἀποσχίται » quod adhibetur ad designandos Monophysitas, frequentius usui erat in Syria et in Palaestina. E contra autem hoc ullatenus neque in « Adv. Nest. et Eutych. » neque in « Epilysi », neque in « XXX capitibus » indicatur.

CAPUT TERTIUM.

De scriptis interpolatis.

(Horum omnium fons primitivus est opus « Σχόλια Λεοντίου ».)

I. — De Sectis.

Titulus graecus : « Λεοντίου σχολαστικοῦ βυζαντίου Σχόλια ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου τοῦ θεοφιλεστάτου ἀββᾶ καὶ σοφωτάτου φιλοσόφου, τήν τε θείαν καὶ ἐξωτικὴν φιλοσοφήσαντος γραφὴν ». (Col. 1193-1568.)

A) *Argumentum et analysis.*

Prima fronte nullatenus difficile est prospicere opus « De Sectis » carere rerum connexione necnon logica

(1) 1308 B.
(2) Canisius-Basnage, I, p. 552. — Lagarde, *op. cit.*, p. 122, 20-25.
(3) 1961 A B.
(4) 1969 A.

consecutione, adeo ut haud unitatis, bene autem compilationis, seu, ut vocabulum recens adhibeamus, miscellaneorum (mélanges) indolem prae se ferat. Quocirca impossibile est claram argumenti proponere expositionem. Unde, in hunc scopum, quae maioris sunt momenti, sat erit adtingere.

Opus dividitur in decem *Actiones* (πράξεις).

*Actio I*ᵃ (col. 1193 A-1200 C). —Doctrinam exponit simulque texit historiam quatuor haereseon, binas ac binas copulando, nempe, ex una parte, Arianorum et Sabellianorum, ex alia autem Nestorianorum et Eutychianorum.

*Actio II*ᵃ (col. 1200 D-1212 B). — Summatim quidem, sed dilucide docet quid sacri utriusque Testamenti libri complectantur; simul quaedam disputat de haeresibus « Iudaeorum et Samaritanorum ».

Actio III (col. 1212 C-1217 C). — Partitur tempora christiana in anteconstantinianam et postconstantinianam periodos; enumerat Patres qui, his temporibus, floruere.

*Actio IV*ᵃ (col. 1217D-1228B). — Historiam exponit haereticorum ad synodum Chalcedonensem usque, id est, MACEDONII, APOLLINARII, NESTORII et EUTYCHETIS.

*Actio V*ᵃ (col. 1228 C-1223 B). — Describuntur contentiones ob synodum Chalcedonensem exortae. Nonnulla etiam delibantur de Severianis, Nestorianis et Tritheistis.

Quinque caeterae actiones sunt mere polemicae.

Actio VI. (col. 1233 C-1237 fine). — Examinat et refellit rationes adversariorum synodi Chalcedonensis.

*Actio VII*ᵃ (col. 1240-1252 A). — Philosophicis satis

fit argumentis, quae contra Duophysismum urgebantur.

Actio VIII[a] (col. 1252 B-1257 B). — Perpendit Patrum testimonia a Monophysitis allata, et probat nihil exinde depromi posse in gratiam illorum erroris.

Actio IX[a] (col. 1257 C-1260 A). — Recitat quaedam verba synodi Chalcedonensis ab haereticis reprehensa.

Actio X[a] (col. 1260 B-1268 A). — Confutantur haereses Gaianitarum (Iulianitarum), Agnoetarum et Origenistarum.

B) *Auctor et origo.*

Opus « De Sectis » est mera interpolatio primitivi scripti « Σχόλια Λεοντίου ». Hoc autem diversimode evincitur :

1° Ex titulo ipso operis, prout in codicibus exstat, et supra retulimus : « Λεοντίου σχολαστικοῦ Βυζαντίου σχόλια ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου ἀββᾶ » κ. τ. λ. Hinc, si fides titulo codicum, inferendum esset Leontium substantiam sui scripti ab ore excepisse Theodori abbatis. Sed *Actio VII*[a] miram habet similitudinem cum lib. I « Adv. Nest. et Eutych ». Quapropter idem concludendum esset et de lib. I « Adv. Nest. et Eutych. », scilicet in ipso pariter contineri solummodo doctrinam ex labiis Theodori collapsam. Quis autem sibi effingere queat Leontium qui in operibus genuinis, nempe, in « Epilysi » et in « XXX capitibus » praeclara praebet amplioris suae dogmaticae doctrinae specimina, in « De Sectis » et in lib. I « Adv. Nest. et Eutych. » humilem tantum fuisse doctrinae Theodori relatorem, eo vel maxime

quod in aliis scriptis continuo reticet LEONTIUS nomen THEODORI, cui secus omnia deberet referre? Igitur facilius capitur opus « DE SECTIS » esse anterioris scripti LEONTII interpolationem.

2° Ex epocha compositionis. Tria reperimus in « DE SECTIS » huc spectantia indicia; a) opus exaratum fuit post IUSTINIANUM : « ἄλλη ἀπορία ἡμῖν ἀνεφύη ἀπὸ τῶν χρόνων Ἰουστινιανοῦ (1) : b) scriptum fuit tempore quo IUSTINUS, IUSTINIANI praedecessor, ceu *prior* distinguebatur a IUSTINO *posteriore :* « Ἰουστῖνος ὁ πρῶτος (2) »; c) demum exaratum fuit tempore quo EULOGIUS Alexandrinam regebat Ecclesiam, ut IOANNIS successor : « μετὰ Ἰωάννην Εὐλόγιος » (3), hoc est inter an. 579 et 607 (4). His autem ita se habentibus, consequitur LEONTIUM non posse esse eius auctorem. Enimvero, inter an. 529 et 544, quando videlicet scripsit lib. « ADV. NEST. ET EUTYCH. », a multo iam tempore Nestorianos deseruerat inter quos, tempore iuventutis, vixerat (5). Adverte tamen dixisse se amicis suis relinquere « ADV. NEST. ET EUTYCH. » tamquam « λήθης φάρμακον, καὶ μετὰ τὴν τελευταίαν ἐκθημίαν ἡμῶν ἀγάπης ὑπόμνημα » (6). Inde concluditur maxime esse verisimile LEONTIUM post an. 579, in quo scilicet EULOGIUS Ecclesiae Alexandrinae praepositus fuit, haud amplius inter vivos versasse. Concludamus igitur superest opus « DE SECTIS » esse interpolationem vetustioris leontiani scripti factam inter an. 579 et 607.

(1) 1237 C.
(2) 1229 C.
(3) 1232 C.
(4) Cf. Smith, *Dictionary of christian biography*, II, p. 283.
(5) 1357 B-1360 C.
(6) 1305 D.

3° Ex interna operis structura. Uti enim supra notavimus, opus « De Sectis » natura destituitur *totius harmonici et secum constantis*. Quicumque enim ipsum vel leviter perlegerit, facile persentiet *unitatem* ab eo exulare. Haud sane speciem affert cuiusdam corporis, sed potius membrorum disparatorum, inter quae nullum intercedit logicum vinculum. Quomodo igitur poterit esse opus Leontii cui continuo mos erat, prouti ex genuinis eius operibus patet, uti in suis elucubrationibus methodo rigorosa et presse scientifica, quam a Stagyrita didicerat?

4° Ex quibusdam internis indiciis.

a) Col. 1216 A, asserit Paulum Samosatenum non idem sensisse ac Nestorium : « μὴ δοξάζων τὰ αὐτὰ τῷ Νεστορίῳ ». Haec autem opponuntur iis quae habet in « Adv. et Nest. Eutych » (1), ubi apposite declarat Nestorium fuisse surculum Pauli Samosateni : « Νεστορίου τοῦ τελευταίου τῆς πρώτης ῥίζης (scilicet Pauli Samosateni impietatis parentis)... βλαστήματος » κ. τ. λ. Idem docet in conclusione operis (2) ubi profitetur opinionem Theodori et eius sectatorum eamdem fuisse ac Pauli Samosateni : « Οἶμαι... τὴν Θεοδώρου καὶ τῶν ἀμφ' αὐτὸν πρός τε τὸν Σαμοσατέα ὁμοδοξίαν » κ. τ. λ.

b) Col. 1229 C, ait, regnante Iustiniano, Severum ex Antiochia Alexandriam fugisse : « Τούτου (scil. Ἰουστινιανοῦ) δὲ βασιλεύσαντος... φοβηθεὶς ὁ Σεβῆρος φεύγει εἰς Ἀλεξάνδρειαν ». Verum certum est fugam Severi regnante Iustiniano, minime accidisse. Quomodo igitur Leontius, eiusmodi eventuum coaevus, potuisset anachronismum manifeste falsum admittere?

(1) 1389 A.
(2) 1396 A.

c) Tandem col. 1264 A, cum moderatione loquitur de opinione Agnoetarum. Imo dicit de profectu Christi in scientiam non esse subtiliter inquirendum : « Ἡμεῖς δὲ λέγομεν ὅτι οὐ δεῖ πάνυ ἀκριβολογεῖν περί τούτων », affirmat plurimos Patres ignorantiam Christi propugnasse : « πολλοὶ τῶν πατέρων... φαίνονται λέγοντες αὐτὸν ἀγνοεῖν ». Haec autem nullimode componi queunt cum « Adv. Nest. et Eutych. », col. 1373, ubi vehementer insurgit in suppositionem Christo ignorantiam attribuentem.

5° Ultimo idem demonstrari potest ex conlatione inter primitivum scriptum « Σχόλια Λεοντίου » et « Σχόλια Λεοντίου ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου » quae prae manibus habemus. Ast, cum eiusmodi conlatio accuratė peracta fuerit a Cl. Loofs (p. 151-161), ne actum iterum agamus, ad eius opus lectorem remittimus.

II. — « Libri VII adversus Nestorianos Leontii Ierosolymitani ».

Graece : « Τοῦ πανσόφου μοναχοῦ Κυρ[ίου] Λεοντίου τοῦ Ἱεροσολυμίτου κατὰ τῶν δύο τὰς ὑποστάσεις Χριστοῦ λεγόντων, τὴν δὲ οἵανουν σύνθεσιν ἐπ' αὐτοῦ οὐχ ὁμολογούντων ».

« Sapientissimi monachi D. Leontii Ierosolymitani adversus eos qui duas affirmant Christi personas, nullamque in ipso coniunctionem confitentur ». (Col. 1400-1768[1].)

A) *Argumentum et analysis.*

Lucidissime ipsemet auctor in prooemio (1) totius

(1) 1400 A-1401 A, lin. 4.

operis proponit argumentum, referendo scilicet diversas propositiones quas reprehendebant Nestoriani. Unde, hac ex parte, obvium nobis praesto est opus. Sufficit nempe elenchum ob oculos ponere septem propositionum, quarum unaquaeque unius septem librorum constituit obiectum, et quas infitiabantur Nestoriani.

Lib. I (col. 1400-1525). « Φασὶν (scil. Nestoriani)... ὅτι οὐκ ὀρθῶς σύνθεσιν τῆς θείας καὶ ἀνθρωπείας φύσεως δοξάζομεν ». Primo igitur Nestoriani impugnabant unionem naturae divinae et humanae.

Lib. II (col. 1525 C-1601) : « ὅτι δύο οὐσῶν τῶν ὑποστάσεων Χριστοῦ οὐ καλῶς καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν γένεσθαι λέγομεν ». Profitebantur igitur duas hypostases, et consequenter negabant unionem hypostaticam.

Lib. III (col. 1604-1649 C) : « ὅτι δύο ὄντων υἱῶν, κακῶς ἕνα ὁμολογοῦμεν εἶναι Υἱὸν τὸν Χριστὸν ». Cognitis duabus personis, retinebant proin duos esse filios.

Lib. IV (col. 1649 D-1721 C) : « ὅτι ψευδῶς Θεοτόκον τὴν ἁγίαν Παρθένον ὀνομάζομεν ». Respuebant maternitatem divinam Virginis Mariae.

Lib. V (col. 1721 D-1753 A) : « ὅτι μὴ ψιλὸν ἄνθρωπον μόνον τῇ φύσει ἴσμεν Χριστὸν, ἀλλὰ καὶ Θεόν ». Negabant igitur Christum esse simul Deum et hominem.

Lib. VI (col. 1753 B-1757 C) : « ὅτι μὴ θεοφόρον ἄνθρωπον, ἀλλὰ Θεὸν ἐνανθρωπήσαντα ἴσμεν τὸν Λόγον ». Docebant ergo Nestoriani Verbum, haud fuisse Deum Incarnatum, verum hominem Deum ferentem.

Lib. VII (col. 1757 D-1768 i) : « ὅτι ἀθέσμως τὸν ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος πεπονθέναι σαρκί κηρύττομεν ». Itaque Nestoriani impugnabant formulam : « Unus de SS. Trinitate passus est carne ».

In elencho propositionum auctor octavam enuntiaverat, quae ita se habet : « τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ἀρνούμενοι, ἀσυστάτους τινὰς ἑτέρας τερατεύονται ». Reiecta igitur unione secundum hypostasim, quasdam alias non consistentes effingebant Nestoriani.

Haec propositio dubio procul constituere debebat, in mente auctoris, obiectum libri octavi. At opus, prout impraesentiarum exstat, continet tantum septem libros. Maxima igitur cum probabilitate concludere licet librum octavum esse amissum.

B) *Auctor et origo.*

Ad auctorem atque originem operis quod attinet, cum res valde sit obscura, huc candide subiiciam conclusiones ad quas meis perductus sum inquisitionibus. Tria, arbitror, possunt affirmari :

1° Haud in dubium vocari quit quasdam intercedere relationes auctorem praesentis operis inter et Leontium Byzantinum, quem noscimus ex scriptis genuinis. Huiusmodi assertum duobus demonstratur argumentis :

a) Lib. I, col. 1420 D, disserens de distinctione conceptuum φύσεως et ὑποστάσεως, haec habet auctor : « ὑμεῖς τε (scil. Νεστορίανοι) καὶ οἱ ἀπὸ Εὐτυχοῦς, τοῦτο ἡμῖν ἐσχαιωρήσατε λέγοντες, ὅτι φύσις καὶ ὑπόστασις ταυτὸν σημαίνει. Ἢ οὖν δύο καὶ τὰς ὑποστάσεις, ἢ μήδη τὰς φύσεις λέγοιτε. Ἀλλ' ἑτέρωσε μὲν τάδε ὑμῖν τε κἀκείνοις διήλεγκται ». Inde bifariam arguimus. Affirmat auctor alibi se Nestorianos et Eutychianos confutasse. Ubinam autem inquirenda est eiusmodi confutatio nisi in lib. III. « Adv. Nest. et Eutych. »? Deinde praefata verba manifestam habent analogiam cum « Adv. Nest. et Eutych. », col.

1276 D, ubi legimus : « Φασὶ γάρ· (nempe οἱ ἀπὸ Εὐτυχοῦς τε καὶ οἱ Νεστοριανοί) εἰ δύο φύσεις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ φατε (scil. vos orthodoxi), οὐκ ἔστι δὲ φύσις ἀνυπόστατος, δύο ἄρα ἂν εἶεν καὶ αἱ ὑποστάσεις ».

b) In lib. II, col. 1565 C, respondet auctor Nestorianorum obiectioni, quae eo tendebat ut de contradictione argueret terminologiam orthodoxam. Dicebant enim Nestoriani : « De homine asseritur esse δύο φύσεις, et, μίαν ὑπόστασιν, e contra autem de Christo, pro tribus naturis, duae tantummodo praedicantur ». Audiamus quid reponat auctor : « Homini, inquit, unam et duas naturas, diversa autem ratione inesse *probavimus :* μίαν καὶ δύο φύσεις εἶναι τὸν ἄνθρωπον, ἑτέρῳ μέν τοι καὶ ἑτέρῳ λόγῳ... ἀπεδείξαμεν σύν Θεῷ, neque, addit, vult pluriora repetere ». Age : ubinam demonstravit diversa ratione unam et duas naturas inesse homini nisi in « ADV. NEST. ET EUTYCH. »? Et quaenam sunt ea quae repetere non vult nisi illa quae disputavit adhuc in « ADV. NEST. ET EUTYCH. »? Praeterquam quod verba allata parallelismum offerunt cum iis quae fusiore calamo fuere pertractata in « ADV. NEST. ET EUTYCH. » (1).

2° Inde negari nequit eumdem esse auctorem lib. VII « ADVERSUS NESTORIANOS » et lib. III « ADV. NEST. ET EUTYCH. », et consequenter libros, quos examinanus, a LEONTIO Byzantino provenire.

Secundum hoc assertum multiplici modo stabilitur :

a) Auctor perfecte cognoscit plurima scripta nestoriana, quod constat ex modo afferendi argumenta Nestorianorum. Haud raro enim eorum argumenta et scripta ad verbum citat, ut percipi potissime potest in

(1) 1289 D, 1293 C D.

lib. I, col. 1432 A; 1429 C; 1452 B; 1468 B; et i lib. II, col. 1565 D. Qui porro fieri potest ut orthodox tam accurate noverit haereticorum scripta? Hoc v facillime intelligitur si auctor praesentis operis ipse Leontius Byzantinus qui, uti iam certiores fa sumus, per diuturnum tempus secreto vixerat int Nestorianos, et, eapropter, eorum pervolverat oper

b) Nonnunquan eadem est argumentatio in libr « Adv. Nest. » et in lib. « Adv. Nest. et Eutych. » I rei confirmationem unum sufficiat specimen ex e depromptum quod auctor adversarios monet eorum haeresim non amplius latere.

« **Adversus Nestor.** ».	« **Adv. Nest. et Eutych.** ».
Τὸ τῆς ἀσέβειας ὑμῶν κρυπτὸν μῦσος ἀπεκαλύψατε. (Col. 1556 D.) ἐξεταζέσθω δὲ καὶ τὰ ἑξῆς ὑμῖν εἰρημένα βλάσφημα, καὶ μὴ λανθανέτω τινὰς μὴ στηλιτευόμενα. (Col. 1653 A.)	... μηκέτι τὴν ἀσέβειαν ἐν κρυπτῷ ταμιευμένοις καὶ τῷ ἀφανεῖ καὶ ἀγνώστῳ; πολλοὺς δελεάζοντας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν φαινομένους κ. τ. λ. (Col. 1357 C.)

c) Indoles theologica auctoris lib. « Adv. Nest. » eadem penitus est ac illa, quam praebet Leontius Byzantinus; eadem pariter est positio quam uterque in contentionibus dogmaticis retinuit. Et revera, ut quaedam tantum tangamus, ope acceptionis vocabuli et conceptus *Enhypostasis*, etiam in lib. « Adv. Nest. » orthodoxia Chalcedonensis ad Cyrillum flectitur; hic etiam frequentior occurrit usus terminologiae aristotelicae; speciali cura submovetur quaestio de individuali Christi natura, et affirmative solvitur ope distinctionis *Enhypostasis* sicut in « Epilysi » (1); sin-

(1) 1917.

gulari attentione digna est sententia haec : « τὴν προϋπάρχουσαν τῆς ἀνθρωπείας φύσεως ὑπόστασιν ἑαυτοῦ καὶ φύσιν ὁ Λόγος τὴν ἄσαρκον πρὸ αἰώνων, ἐν ὑστέροις καιροῖς ἑαυτῷ σαρκὰ περιβαλὼν αὐτῇ τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει, οὐκ ἀνθρώπου ψιλοῦ, τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἐνυπέστησεν » (1).

Haec autem omnia reipsa convenire LEONTIO Byzantino, iam vel sat colligitur ex supra de eius genuinis scriptis discussis, amplius vero constabit ex eius in tertia parte doctrinae expositione.

3° Esto, lib. VII « ADV. NEST. » opus sint LEONTII; attamen non sunt nisi opus interpolatum.

Ultimum hoc assertum evincitur :

a) Ex defectu dispositionis, passim in toto opere, speciatim vero in lib. I. Haud enim viget ordo logicus in lib. I; saepe saepius eadem aut similia redeunt argumenta; ordinatio 52 capitum, quae complectitur eiusmodi liber, est prorsus arbitraria. At iam novimus LEONTIUM Byzantinum strictiore in suis scriptis uti methodo et accuratiori dispositioni rerum instare.

b) Ex diversitate styli lib. « ADV. NESTOR. » cum authenticis LEONTII operibus.

c) Nonnunquam conspicitur oppositio doctrinae inter lib. « ADV. NEST. » et authentica LEONTII scripta. Ne nimium hac in re immoremur, sat sit unum proponere exemplum. Col. 1485 D, negat diserte auctor lib. « ADV. NEST. » personam Christi debere dici compositam : « οὔτε ὑπόστασις σύνθετος (γέγονεν) ὅτι οὐκ ἐξ ὑποστάσεων ». Ast, uti videbimus in tertia parte, LEONTIUS, instar formulae dogmaticae, frequenter docet personam Christi esse compositam.

(1) 1748 D.

III. — « Contra Monophysitas ».

Graece : « Τοῦ πανσόφου μοναχοῦ Κυρ[ιου] Λεοντίου Ἱεροσολυμίτου ἀπορίαι πρὸς τοὺς μίαν φύσιν λέγοντας σύνθετον τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ μαρτυρίαι τῶν ἁγίων καὶ ἀναλύσις τοῦ δογμάτος αὐτῶν ». i. e. :

« Sapientissimi monachi D. Leontii Ierosolymitani quaestiones (rectius *dubitationes*) adversus eos qui unam dicunt naturam compositam D. N. J. C.

« Item sanctorum testimonia et sententiae ipsorum explicatio ». (Col. 1769-1901 A.)

A) *Argumentum et Analysis.*

Facillime quidem determinatur huiusce operis argumentum; in hoc enim consistit, ut ipsemet titulus manifeste declarat, ut nempe diluantur dubitationes asserentium unam duntaxat esse in Christo naturam et hanc compositam.

Difficilius autem est eiusdem operis instituere analysim. Cum enim unitate simul ac ordinata dispositione careat, arduum opus est connexionem logicam conceptuum prosequi eamdemque enucleare.

Quod rectius forsitan veriusque sub hoc respectu proponi quit, huc redit ut nimirum integrum opus in tres dividatur partes; hoc est :

Pars I^a (col. 1769-1804 C). Evertit auctor dogmatica Monophysitarum fundamenta.

Pars II^a (col. 1804 D-1876 C). Examinat eorumdem demonstrationes cum scriptas tum traditione innixas.

Pars III^a (col. 1876 D-fine). Alia scrutatur necnon concutit fundamenta, et momenta, imprimis vero his-

torica, quibus Monophysitae suam ab Ecclesia scissionem tueri contendebant.

B) *Auctor et origo.*

Quid possit statuere critica de auctore atque de origine operis « CONTRA MONOPHYSITAS » iam necesse est inquiramus. Exitum, ad quem me meae adduxerunt investigationes, duplici enuntiabo propositione :

1° Opus, prout in praesenti consideratur adornatione, non venit a LEONTIO, tanquam ab auctore. Haec autem assertio demonstratur :

a) Ex diversitate styli et sermonis. Etenim stylus et sermo operis « CONTR. MONOPHYS. » discrepant a stylo et sermone, qui affulgent in genuinis LEONTII scriptis, in eadem omnino mensura in qua conveniunt cum stylo et sermone qui explicantur in lib. interpolatis « ADV. NESTOR. » de quibus supra dictum fuit. Vel levis operis consideratio sufficit plane ad manifestandum ex una parte discrepantiam cum operibus authenticis, ex altera autem convenientiam cum interpolatis, duplici styli sermonisque ratione.

b) Attendamus deinde oportet ad defectum logicae dispositionis, qui totum pervadit opus, necnon ad innumeras repetitiones, quae occurrunt in 63 dubitationibus. Edocti autem sumus, examine operum genuinorum, LEONTIUM Byzantinum conscribere una cum praeclariore *praecisione* in conceptibus ac in vocibus, praestantiore rerum *ordinatione*, maioreque in argumento ipso *arduitate*. Nullatenus igitur opus « CONTR. MONOPHYS. » prodit dotes, quae in scriptis LEONTII fulgent.

c) Ex epocha ipsa evincitur fere cum certitudine. Quandonam fuit compositum opus « CONTR. MONOPHYS. »? Ad hanc quaestionem solvendam, in ipso opere in promptu nobis sunt quaedam indicia. Etenim, col. 1900 D, mentionem facit auctor tum haereseos Iacobitarum, Ἰακωβιτῶν αἱρέσεως, cuius institutor, ut certo ex historia constat, fuit IACOBUS BARADAEUS, qui fuit episcopus ab an. 543 usque ad an. 578; tum Saracenorum, quibuscum Iacobitae per deserta vagabantur : « τοῖς Σαρακηνοῖς συμπεριάγεσθαι κατὰ τὴν ἔρημον ». Haec autem verba, quae sunt operis conclusio, demonstrant opus, saltem cum praesenti conclusione, fuisse compositum circiter inter an. 580 et an. 620. Praeterea, col. 1805 C, memorat Franchos : « Φράγγων », et col. 1896 C, Longobardos : « ἐν Λογγοβάρδοις » : Postremum hoc indicium ostendit probabilius opus exaratum fuisse post an. 580. Hoc autem praesupposito, iam impossibile est ut opus, in sua praesenti dispositione, habeat LEONTIUM Byzantinum tanquam auctorem, quia hic, hoc tempore, uti demonstravimus quando agebatur de opere « DE SECTIS », e vita migraverat.

2° Attamen opus « CONTR. MONOPHYS. » apertas habet cum LEONTIO relationes. Posterior haec propositio demonstratur :

a) Ex titulo operis supra relato : « τοῦ πανσόφου μοναχοῦ Λεοντίου Ἱεροσολυμίτου » κ. τ. λ. Porro, quamvis nomini LEONTII addatur determinatio « Ierosolymitanus » nulla exinde suboriri potest difficultas, quandoquidem ex prima parte nobis iam compertum est LEONTIUM Byzantinum et LEONTIUM Ierosolymitanum esse unum et eumdem.

b) Ex parallelismo inter opus « CONTR. MONOPHYS. »

ex una parte, et opera genuina LEONTII Byzantini, scilicet, lib. « ADV. NEST. ET EUTYCH. », « EPILYSIN », et « TRIGINTA CAPITA », ex altera : ex quo profecto parallelismo maxima reperietur conformitas inter opera, quae comparantur. Sed age : huiusmodi parallelismus duplici sub conspectu institui potest; imprimis enim, quoad sententias ipsas operum, quae in « CONTR. MONOPHYS. », sunt 63 dubitationes (ἀπορίαι); deinde quoad citationes Patrum (χρήσεις) (1).

« **Contr. Monophys.** ».	« **Opera genuina Leontii** ».
	α) *Parallelismus textuum.*
1ª ἀπορία (dubitatio).......	« *XXX Cap.* », cap. 1 et 2; et « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1293 A).
2ª	« *XXX Cap.* », cap. 16; et « *Epilysis* » (1921 C, et 1925 A B).
3ª	« *XXX Cap.* », cap. 9; et « *Epilysis* » (1933 C).
4ª	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (1292 B).
5ª	Nihil correspondet.
6ª	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (1336 C).
7ª	« *XXX Cap.* », cap. 26.
8ª	« *Epilysis* » (1936 A)
9ª	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (1345 D).
10ª	« *Epilysis* » (1932 A et seqq.); et « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1296 C et seqq.).
11ª .... } 12ª .... }	Nihil correspondet.
13ª	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (1289 A).

(1) Parallelismum hunc mutuamus a Cl. Loofs, p. 182 et seqq.

« Contr. Monophys. ».	« Opera genuina Leontii ».
14ª ἀπορία (dubitatio).......	Nihil correspondet.
15ª	« *XXX Cap.* », cap. 30.
16ª	Ibid., cap. 3.
17ª	Ibid., cap. 23.
18ª	Ibid., cap. 24 et 25; et « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1288 A-C).
19ª	« *XXX Cap.* », cap. 19.
20ª (est repetitio 16ªᵉ)......	
21ª	« *XXX Cap.* », cap. 27; et « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1296 A); et « *Epilysis* » (1928 A).
22ª	« *Epilysis* » (1917 et seqq.). « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1292 B).
23ª	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (1277 C).
22ª (connectitur cum 23ª)...	
25ª	« *XXX Cap.* », cap. 22.
26ª	Ibid., 23.
27ª	Ibid., 10.
28ª	Ibid., 10.
29ª	Nihil correspondet.
30ª	« *Adv. Nest. et Eutych.* » (1293 A B).
31ª .... 32ª 33ª	Nihil correspondet.
34ª	Id. ac pro 18ª.
35ª	Id. ac pro 21ª.
36ª	« *XXX Cap.* », cap. 19.
37ª .... 38ª .... 39ª .... 40ª 41ª	Non habent specialem parallelismum.

« Contr. Monophys. ».	« Opera genuina Leontii ».
42ª ἀπορία (dubitatio).......	« *XXX Cap.* », cap. 16.
43ª	« *Epilysis* » (1936 B).

A 44ª usque ad 63ªm et ultimam, ita sunt ἀπορίαι distributae, ut cum aliis conveniant. Unde e. g. :

48ª ἀπορία (dubitatio).......	Conferenda cum 4ª et 21ª.
53ª	— — 10ª.
58ª	— — 10ª et 53ª.
59ª	— — 42ª et 63ª.
61ª	— — 22ª.

β) *Parallelismus citationum Patrum.*

Quaedam tantum maioris roboris afferimus specimina.

AMBROSIUS (1825 D, et 1837 A et B).	« *Adv. Nest. et Eutych.* »; textus latinus Canisii Basnage, I, p. 552 et 553.
AMPHILOCHIUS (1837 C).	Ibid., p. 553.
ATHANASIUS (1817 C).	Ibid., p. 550.
AUGUSTINUS (1837 D).	Ibid., p. 554.
CYRILLUS ALEXANDRINUS (1823 D).	Ibid., p. 559.
CYRILLUS IEROSOLYMITANUS (1836 A).	Differt a citatione « *Adv. Nest. et Eutych.* ».
FLAVIANUS ANTIOCHENUS (1840 A).	Ibid., p. 555.
GREGORIUS NAZIANZENUS 1818 C, 1820 A B, D, 1821 B-C).	Ibid., pp. 551, 548, 551.
GREGORIUS NYSSENUS (1821 D, 1833 D).	Ibid., pp. 551, 552.
HILARIUS (1836 D).	Ibid., p. 552.
IOANNES CHRYSOSTOMUS. Quater aliter citatur ac in « *Adv. Nest. et Eutych.* ».	
ISIDORUS PELUSIANUS (1828 C, 1836 A, 1840 A).	Ibid., p. 555.

« **Contr. Monophys.** ».	« **Opera genuina Leontii** ».
Iustinus Apologista (1825 C D).	Differt à citatione « *Adv. Nest. et Eutych* », p. 549.
Petrus Alexandrinus (1836 B).	Ibid., p. 550.
Proclus Constnus (1836 B C).	Ibid., pp. 548, 555.

c) Denique colligitur ex collatione cum « De Sectis ». Quamvis enim, uti supra vidimus, opus « De Sectis » sit interpolatum, nihilo tamen minus originem ducit leontianam, quandoquidem est interpolatio primitivi scripti « Σχόλια Λεοντίου ». Iam vero interceditne aliqua similitudo et consonantia inter duo scripta, scilicet « Contr. Monophys. » et « De Sectis »? Utique. Videamus igitur :

Initio *Actionis VIae* « De Sectis » dividit auctor discutienda in triplicem partem, seu melius argumenta adversariorem in tres partitur classes : alia sunt historica : τὰ μὲν αὐτῶν (scilicet ἐπιχειρημάτων) ἱστορικά εἰσιν, alia ex syllogismis, nimirum ex ratione philosophica : « τὰ δὲ ἀπὸ συλλογισμῶν », alia tandem ex auctoritatibus : « τὰ δὲ ἀπὸ χρήσεων » (1).

Praeposita hacee partitione, in totidem actionibus distinctis triplicem discutit obiectionum ordinem; scilicet :

In Actione VIa, evertit ἱστορίκα ἐπιχειρήματα.

In Actione VIIa, persequitur « ἐπιχειρήματα ἀπὸ συλλογισμῶν ».

Demum Actio VIIIa detinetur in « ἐπιχειρήμασι ἀπὸ χρήσεων ».

Bene haec. Redeamus nunc ad « Contr. Monophys. ».

(1) 1233 C.

Ubi de analysi, diximus opus « CONTR. MONOPHYS. » in triplicem dividi partem. In prima auctor subvertit dogmatica Monophysitarum fundamenta, quae philosophicis innituntur placitis. In secunda examinat eorumdem demonstrationes, imprimis eas quae ex Traditione desumuntur. In tertia tandem concutit fundamenta historica Monophysitarum.

Haec autem cum ita se habeant, iam fit manifestum concordantiam existere, quoad res supremi momenti, inter duo scripta « CONTRA MONOPHYS. » et « DE SECTIS ». Quod ut citius faciliusque capiatur, subiicimus schemate eiusmodi consonantiam.

I. — Ἱστορίκα ἐπιχειρήματα.

DE SECTIS, *Actio VI*[a]; — CONTRA MONOPHYS., *Pars III*.

II. — Ἐπιχειρήματα ἀπὸ συλλογισμῶν.

DE SECTIS, *Actio VII*[a]; — CONTRA MONOPHYS., *Pars I*.

III. — Ἐπιχειρήματα ἀπὸ χρήσεων.

DE SECTIS, *Actio VIII*[a]; — CONTRA MONOPHYS., *Pars II*.

His fusius disputatis, nihil amplius superest nisi ut paucis concludamus :

1° Opus « CONTRA MONOPHYSITAS » qualiter impraesentiarum consistit, non habet ut auctorem LEONTIUM Byzantinum.

2° Attamen, dum examini submittitur, facile omnino perspicitur ipsum connexionem et veluti propinquitatem cum LEONTIO arguere.

3° Igitur, est utique opus LEONTII Byzantini, sed interpolatum.

CAPUT QUARTUM.

De fragmentis.

Inter scripta LEONTII Byzantini enumerantur quoque quaedam fragmenta, quae, hoc unico iure, solent communiter Patrologiae complecti. Ita in collectione MIGNE huiuscemodi fragmenta continentur, col. 2004 C-2016. Itaque, ad complenda ea quae supra de scriptis LEONTII explanavimus, reliquum est ut quaedam et de istiusmodi fragmentis describamus.

I. — ELENCHUS EIUSMODI FRAGMENTORUM.

Quinque sunt fragmenta, quae LEONTIO adscribuntur, scilicet :

1° Ἀπὸ τῶν Λεοντίου (col. 2004 C-2009 C). Verba praeposita sunt ipsemet fragmenti *titulus*. Fragmentum autem ita incipit : « Ὅτι οὐ ταὐτὸν ὑπόστασις καὶ ἐνυπόστασις ».

2° *Titulus :* Ἐκ τῶν σχόλιων Λεοντίου (col. 2009 D-2012 D). Incipit : « Ἰστέον ὅτι τὸ ἐνυπόστατον διττόν ἐστι ».

3° *Titulus :* Ἐκ τῶν Λεοντίου μοναχοῦ τοῦ βυζαντίου (col. 2013 A). Incipit : « Τὴν ἐπίνοιαν οἱ Πατέρες ».

4° *Titulus :* Ἐκ τῶν σχολίων Λεοντίου, συλλογισμὸς συνάγων ὅτι, εἰ μία φύσις ὁ ἄνθρωπος, δύο φύσεις ὁ Χριστός (col. 2013 B-2016 B). Incipit : « Ἐπειδήπερ εἰσὶν ἀρχαὶ ».

5° *Titulus :* Ἐκ τοῦ Λεοντίου σχολίων περὶ τοῦ ἀριθμοῦ (col. 2016 C D). Incipit : « Ἰστέον πάλιν ὅτι ὥσπερ ».

II. — Relationes horum fragmentorum.

Quemadmodum scripta interpolata, ita et eiusmodi fragmenta, in seipsis spectata, apprime videntur esse reliquia cuiusdam operis Leontii, nunc, saltem in primitivo textu, haud exstantis. Hoc eo vel magis verisimile est quod supra allata fragmenta, ad verbum fere, continentur in aliis Leontii scriptis, et imprimis in authenticis. Cum eiusmodi respectus, nemine sane diffitente, maximi sit momenti pro critico de his fragmentis iudicio, praestat ut qualemcumque instituamus conlationem inter fragmenta ipsa et caetera Leontii scripta. Res autem, quoad nostrum intentum, breviter absolvetur. Interea, pro fusiore huiusce argumenti evolutione, lectorem remittimus ad Cl. Loofs (1).

CONLATIO.

Fragmenta.	**Alia Leontii scripta.**
Ium.	
1º) Initium · « οὐ ταυτὸν ὑπόστασις ». (2004 C.) « Καὶ ὁ Λόγος διάφορος. (2005 B, linea 9.)	1º) « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1277 C, linea 13 usque ad 1280 B, linea 10.)
2º) « ὅτι διττὸς ὁ τῆς τελειότητος ὅρος, ὁ μὲν ἁπλῶς λεγόμενος, ὁ δὲ σχέσει θεωρούμενος. (2005 B, linea 9-11.)	2º) « διττὸν εἶναι τὸν τῆς τελειότητος ὅρον, καὶ τὸν μὲν ἁπλῶς λέγεσθαι, τὸν δὲ ἐν σχέσει θεωρεῖσθαι. (« *Advers. Nest. et Eutych.* », 1281 C, linea, 10-12).)
3º) ὅτι εἰ φύσει παθητὸς ἦν ὁ Λόγος ἢ τῶν ἐνταῦθα ἐδέχετο περιγραφήν, ἔσται τοῖς ἀπὸ Νεστορίου	3º) Εἰ μὲν οὖν φύσει παθητὸς ὁ Λόγος ἢ τὴν ἐν τόπῳ δέχεται περιγραφήν, ἔσται ταῦτα ἐν αὐτῷ δι' αὐ-

(1) P. 110 et seqq.

Fragmenta.

ταῦτα ἐν αὐτῷ, τό φεδεῖσθαι σαρκὶ συνάπτειν καὶ ὅλῳ ἀνθρώπῳ, ἵνα μὴ περιγραφῇ. (2005 B, linea, 11 et seqq.)

4°) ὅτι δεῖ ἀντιστῆναι, ὡς οἱ τὴν ἕνωσιν μὴ κατ' οὐσίαν... Ψεῦδος πολυσχιδὲς ἂν ἐμερίσαντο. (2005 D, linea 7 et seqq.)

5°) τῶν ἑνώσεων καὶ τῶν διακρίσεων διττὸς ὁ λόγος. τὰ μὲν γὰρ ἥνωται τοῖς εἴδεσι, διῄρηται δὲ ταῖς ὑποστάσεσι· τὰ δὲ διῄρηται μὲν τοῖς εἴδεσι. (2008 C, linea 5 et seqq.)

Alia Leontii scripta.

τὸν, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν πρὸς τὸ περιγραπτὸν καὶ παθητὸν σῶμα ἕνωσιν. (« *Adv. Nest. et Eutyc h.* »,1284 B, linea 9 et seqq.)

4°) οἱ τὴν ἕνωσιν μὴ κατ' οὐσίαν... Ψεῦδος πολυσχιδὲς ἂν ἐμερίσαντο. (« *Adv. Nest. et Eutych.* », 1300 B, linea 11 et seqq.)

5°) Τῶν δὲ ἑνώσεων καὶ τῶν διακρίσεων διττὸς ὁ λόγος. τὰ μὲν γὰρ ἥνωται τοῖς εἴδεσι, διῄρηται δὲ ταῖς ὑποστάσεσι· τὰ δὲ διῄρηται τοῖς εἴδεσι, ἥνωται δὲ ταῖς ὑποστάσεσι. (« *Adv. Nest. et Eutych.* », 1301 D, linea 10 et seqq.)

IIum.

Fragmenta.

Ἰστέον ὅτι τὸ ἐνυπόστατον διττὸν ἐστι· σημαίνει γὰρ τὸ ἁπλῶς ὄν· καθ' ὃ σημαινόμενον οὐ μόνον τὴν οὐσίαν, ἣν αὐθυπόστατον οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ ὑπογράφουσιν, ἐνυπόστατον καλοῦμεν δι' αὐτὸ τοῦτο τὸ εἶναι ἁπλῶς καὶ ὑφέσταναι, ἀλλὰ καὶ τὰ συμβεβηκότα ἐνυπόστατα λέγομεν, κἂν ἐν ἑτέρῳ ἔχουσι τὸ εἶναι, τοῦτο ἔστιν ἐν τῇ οὐσίᾳ; καὶ εἰσιν κυριώτερον εἰπεῖν ἑτερουπόστατα· σημαίνει δὲ πάλιν καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸ ὂν τοῦτο εἶναι ἰδιοσυστάτως, καθ' ὃ σημαινόμενον καὶ τὰ ἄτομα ἐνυπόστατα λέγονται, τοῦτο εἶναι ὁ Πέτρος ἢ ὁ Ἰωάννης, κ. τ. λ. (2009 D, linea 4 et seqq.)

Alia Leontii scripta.

Ἰστέον οὖν ὅτι τὸ ἐνυπόστατον ἤτοι ἡ ὑπόστασις δύο σημαίνει. Σημαίνει γὰρ τὸ ἁπλῶς ὄν· καθ' ὃ σημαινόμενον λέγομεν καὶ τὰ συμβεβηκότα ἐνυπόστατα, εἰ καὶ ἐν ἑτέροις ἔχουσι τὸ εἶναι. Σημαίνει καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸ ὄν, ὡς τὰ ἄτομα τῶν οὐσιῶν· ὥστε συμβαίνει τὸ καθ' ἑαυτὸ ἐνυπόστατον διχῶς λέγεσθαι ἐνυπόστατον· Καθ' ὃ ὂν ἐστιν, καὶ καθ' ἑαυτὸ, τοῦτ' ἔστι Πέτρος καὶ Παῦλος. (« *De Sectis*, » 1240 C, linea, 12-1241 A, linea 1.)

IIIum.

Fragmenta.

Τὴν ἐπίνοιαν οἱ Πατέρες... ἂν εἰδωλοποίησεν. (2013 A, linea 3-B, linea 2.)

Alia Leontii scripta.

« *Epilysis.* » (1932 A, linea 7-B, linea 8.)

Fragmenta.	**Alia Leontii scripta.**
IV^um^.	
Ἐπειδήπερ εἰσὶν ἀρχαὶ τίνες... ὑποστάσεως τοῦ Χριστοῦ. (2013 B, linea 7-2016 B, linea 5.)	« *De Sectis* ». (1248 D, linea 6-1249 D, linea 2.)
V^um^.	
Ἰστέον πάλιν ὅτι ὥσπερ τὸ ἓν τῶν πολλαχῶς λεγομένων ἐστιν· λέγεται γὰρ ἓν τῷ ἀριθμῷ....... τῇ δὲ συνόδῳ. (2016 B, linea 8-C, linea 7.) ... οὐκοῦν κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο... τῇ φύσει. (Ibid., C, linea 7-usque ad finem.)	Ἰστέον οὖν ὅτι ὥσπερ τὸ ἓν πολλαχῶς λεγόμενον........... ... αὐτῇ φύσει, τῇ δὲ συνόδῳ. (« *De Sectis* », 1244 B, linea 12-C, linea 13.)

III. — Origo fragmentorum.

Apprime profiteamur oportet nihil certi statui posse circa originem eiusmodi fragmentorum. Hoc praenotato, quae maiorem praebent probabilitatem, ad haec revocantur :

1° Quemadmodum ex conlatione modo instituta compertum est, fragmenta haec maximam habent similitudinem ac cognationem cum ceteris scriptis, potissime vero cum « Adv. Nest. et Eutych. ». Ex quo, prima fronte, mens revera induceretur ad eiusmodi fragmenta ipsi auctori lib. « Adv. Nest. et Eutych. » adscribenda. At, neque res ita obvie currit, neque potest ita se prorsus habere. Etenim et innumerae conspiciuntur dissonantiae inter ambo opera. Ita, ut quasdam tantum gravioris momenti indicemus varias lectiones inter fragmentum I^um^ et « Adv. Nest. et Eutych. » :

Col. 2005 B, linea, 12-13 *Fragmentum I^{um}* addit « τοῖς ἀπὸ Νεστορίου ».

Hoc deficit in textu parallelo « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1284 B linea 9 et seqq.).

Col. 2008 B, linea 5, *idem fragmentum* addit « Νεστοριανούς ».

Hoc deficit in loco parallelo « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1301 A, linea 11 et seqq.).

Demum *idem fragmentum*, col. 2009 A, linea 16, habet « Δειξά τωσαν ».

In loco parallelo « *Adv. Nest. et Eutych.* » (1308 C, linea 10) est « δειξάτω ».

Haec pauca exempla demonstrant haud posse *fragmentum I^{um}* directe reduci ad opera LEONTII. Aliunde autem eadem motiva, necnon frequentius repetita particula ὅτι verisimilem faciunt hypothesim fragmentum I^{um} connecti cum quodam antinestoriano opere, quod LEONTIUM citabat.

2° Titulus fragmenti quid amplius nos docet. Etenim textus MAI et MIGNE « ἐκ τῶν Λεοντίου » nihil aliud est quam mendum aut mera coniectura. Ex codicibus MAI antiquior (an. 1040) habet « ἐκ τῶν Λεοντίνων » ; recentior vero (saec. XV) habet « ἐκ τῶν Λεοντίων ». Demum cod. Escurialensis fert, testante MILLER (1), « ἐκ τοῦ Λεοντίου ». Alius cod. fert « τὰ Λεόντια ». Quamvis autem variae, quoad titulum, occurant lectiones, nihilominus maior numerus codd. habet « τῶν Λεοντίων ». Attamen de legitimitate tituli « τὰ Λεόντια » vix videtur esse dubium, quandoquidem, omnes considerationes quae in « *Fragmento I°* » continentur, in uno scripto « ADV. NEST. ET EUTYCH. » comprehenduntur. Aliunde, idem « *Fragmentum I^{um}* » quamdam complectitur considerationem, nempe : « ὅτι εἶδος οἷον ἄνθρωπος, ἵππος, βοῦς· ὁμοίως γὰρ ὁ Σωκράτης, καθ' ὃ ζῶον, ἔστι γένος· καθ' ὃ θνητὸς,

(1) *Catalogue des mss. grecs de la Bibliothèque de l'Escurial,* p. 190.

καὶ λογικὸς, διαφέρει· καθ' ὃ δὲ ἄνθρωπος, εἶδος· οὕτω καὶ πάντες ἄνθρωποι. Γένος δὲ καὶ διαφορὰ καὶ εἶδος συμπληρωτικὰ τῆς ἑκάστου εἰσὶν οὐσίας· διὸ καὶ οὐσιώδη λέγονται· τὸ δὲ ἴδιον καὶ τὸ συμβεβηκὸς, ἐπουσιώδη, ἐπειδὴ ὑπάρχει τινὶ, τὸ δὲ συμβεβηκὸς πόῤῥω ὑπάρχει· ταῦτα δὲ καὶ χωριστικὰ καλεῖται. Ἔστι μὲν οὖν τὸ ἴδιον, τὸ γελαστικὸν, τὸ δὲ συμβεβηκὸς, τὸ μέλαν, τὸ κινεῖσθαι, τὸ ἵστασθαι, τὸ καθῆσται· ὅτι τῶν γινομένων ἐστὶν ὁ σκοπὸς, τὸ χρήσιμον, τὸ παρακολούθημα, τὸ γνήσιον, ἡ τάξις, ἡ ἀποδεικτικὴ, χάριν, ἤτοι δηλωτικὸν τοῦ σκοποῦ ἡ αἰτία, ἡ ἐπιγραφή (1) », quae etsi, plerumque germanam exprimat Aristotelis doctrinam, neque tamen in « Adv. Nest. et Eutych. », neque in alio scripto, qui indubie ab auctore operis « Adv. Nest. et Eutych. » proveniat, continetur. Etsi autem textus supra allatus in nullo ex scriptis authenticis Leontii reperiatur, nihilosecius certum certissimumque est ipsum undequaque consentaneum esse Leontii doctrinae.

His omnibus perpensis, iam concludamus opus est : « Indubium videtur Fragmentum I^um nobis renuntiare existentiam alicuius Leontii operum collectionis, cuius titulus erat « τὰ Λεόντια », in qua, praeter libros « Adv. Nest. et Eutych. », adhuc aliud comprehendebatur scriptum, nunc, saltem in pristino argumento, haud amplius exstans, in quo nimirum auctor de suis philosophicis pertractabat opinionibus ». Inde praeterea indubium quoque videtur diversa fragmenta, quae supra attulimus, nihil aliud esse quam partes utcunque excerptas et divulsas ab eiusmodi collectione.

(1) 2009 C, linea 5-D.

PARS TERTIA — DOGMATICA

DE CHRISTOLOGIA LEONTII

CAPUT PRIMUM.

Brevis conspectus christologiae praecedentium aetatum.

Haud solet generatim ex abrupto fieri dogmatica evolutio, neque, sine ratione, doctrina aliqua funditus suscitatur; verum cuiusdam auctoris doctrina plerumque pendet ab adiunctis, in quibus constitutus erat, atque quodammodo connectitur cum controversiis quae cum antea tum eius aetate exagitatae fuere. Ex hoc insuper capite diiudicanda est. Ut igitur penitius capiatur doctrinalis alicuius auctoris consistentia, non inutilis sane erit pretii retro respicere, et quasi omnes persequi progressus atque stadia evolutionis dogmaticae ad eius aetatem usque. Imo paululum necesse est specialem veluti indolem contestari quae, ratione temporis, loci, circumstantiarum ac auctorum, alicui adfixa est dogmati. Quapropter eiusmodi munus prae-

termittere nequimus in ipso limine partis in qua opus suscipimus LEONTII christologiam enucleandi. Hac enim duntaxat ratione, plene intelligemus quaenam sint LEONTIO partes adscribendae in scientifica dogmatis christologici elaboratione.

Itaque breviori saltem calamo historiam anteleontianam dogmatis christologi contexamus oportet, necnon exhibeamus quomodo reipsa ipsum se habebat, quando LEONTIUS palaestram conscendit.

Christologiae autem aetatem, quae LEONTIUM Byzantinum praecessit, in triplicem, ordinis claritatisque causa, periodum iure partiri possumus; quae periodi ita designantur : CHRISTOLOGIA ANTEEPHESINA, CHRISTOLOGIA EPHESINA, et CHRISTOLOGIA CHALCEDONENSIS.

I. — CHRISTOLOGIA ANTEEPHESINA.

I. — Ad primordia usque christologiae ascendendo, duos praeprimis comperimus haereseos fautores, qui, cum fama propria partibusque a se expletis, tum occasione, quam orthodoxiae praebuere dogmatis christologici cum maiore simul cura ac claritate indolem declarandi, nonnihil sane temporis animique attentionis merentur. Huiusmodi duo haeretici sunt PAULUS Samosatenus et APOLLINARIUS Laodicensis.

Imprimis autem ex authenticis documentis compertum nobis est quaenam fuerit doctrina christologica PAULI Samosateni, episcopi Antiochaeni. Porro ad tria capita reduci quit PAULI Samosateni christologia, nempe : 1° Christus non habuit nisi originem terrestrem; in cuius confirmationem scribit EUSEBIUS : Humilia et abiecta de Christo sentiebat : « Τούτου [i. e.

Παύλου τοῦ Σαμοσατέως] δὲ ταπεινὰ καὶ χαμαιπετῆ περὶ τοῦ Χριστοῦ... φρονήσαντος », perinde ac, addit idem auctor, factus esset, quoad naturam, communis homo, « ὡς κοινοῦ τὴν φύσιν ἀνθρώπου γενομένου [Χριστοῦ] » (1). Hoc autem exinde profecto profluebat quod nimirum Samosatenus aeternam Verbi Divini negabat personalitatem. Hoc enim semel retento, in promptu erat ut divina Christi origo praescinderetur. 2° Dignoscebat tamen unionem aliquam Iesum inter ac Sapientiam Divinam, quae unio erat mere moralis, seu, rectius, *secundum qualitatem*, « κατὰ ποιότητα ». 3° Decursu autem temporis, docebat : Christus ex *singulari profectu* factus est Deus : « Ὕστερον αὐτὸν [Χριστὸν] μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν ἐκ προκοπῆς τε θεοποιῆσθαι » (2).

Alter haeresiarcha est Apollinarius, episcopus Laodicensis. Hic enim, anthropologica Platonis imbutus doctrina, quae sub nomine *Trichotomiae* dignoscitur, quatenus nempe tres in quolibet homine distinguit animas, humanam Christi naturam mutilabat, ac idcirco nonnisi mancam et incompletam ipsi eamdem concedebat. Christus, aiebat Apollinarius, utique constat : 1° ex *corpore humano*, « ἐκ σώματος », 2° ex *anima vivente*, « καὶ ψυχῆς τῆς ζωτικῆς », quam *irrationabilem* « ἄλογον » declarabat. Verum 3° Verbum « Λόγος » locum occupavit ac vices gessit animae [humanae] rationabilis, « ψυχῆς λογικῆς ».

II. — His igitur expositis dogmatis christologici deturpationibus, reliquum est ut prima quoque ac vetustiora christologiae orthodoxae patefaciamus germina, prouti ipsa continentur in documentis authenticis et

(1) *H. E.*, VII, 27.
(2) Athan., *De synod.*, 26.

solemnibus definitionibus. Iam prima diserta circa dogma christologicum decreta vulgata ac sancita fuere a synodo romana sub Damaso pontifice (an. 378 aut 379) coacta. Ideo inquiramus necesse est quaenam sint reipsa definitiones huius synodi, quidque proin ex ipsis statui queat in ordine ad luculentiorem dogmatis christologici explicationem. Porro ex quamplurimis synodi Damasianae anathematismis duo profecto digni sunt, qui singulari notentur mentione, nempe VI[us] et VII[us].

Prior ita proponitur : « Anathematizamus eos, qui duos Filios asserunt, unum ante saecula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine ».

Istiusmodi anathemate, uti patet, profligantur illi qui unitatem ontologicam atque realem Christi scindebant, et qualemcumque dualitatem, filiationis saltem, in ipso agnoscebant.

Posterior Anathematismus ita enuntiatur : « Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali et intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne versatum; cum ipse Filius sit Verbum Dei, et non pro anima rationali et intelligibili in suo corpore fuerit, sed nostram, id est, intelligibilem sine peccato animam susceperit atque salvaverit ».

Iam praefatum consideranti anathematismum conspicue patebit duo in eo stabiliri : imprimis enim damnatur sententia Apollinarii de Verbo vices gerente in Christo animae humanae rationabilis, unaque asseritur Verbum assumpsisse animam nostram rationabilem et intelligibilem; deinde declaratur Filium esse eumdem ac Verbum Dei, « cum ipse Filius sit Verbum Dei ».

III. — Primo igitur veluti gressu in explanatione dogmatis christologici, ope anathematismorum synodi damasianae absoluto, quoad modum deinceps concipiendi internam Christi constitutionem, duae oppositae se produnt tendentiae. — Aliter enim sentiebant Theologi Syri, qui primariam saltem sedem Antiochiae habebant; aliter autem Aegyptii, qui centrum suum Alexandriae instituerant. Quae cum ita se habeant, perutile omnino est ut brevissimo saltem mentis intuitu doctrinam perlustremus, quam uterque theologorum coetus suis confovebat plausibus.

Syri. — Ab ipso Leontio edocemur christologiam Syrorum nonnihil pendere a placitis Pauli Samosateni. Nam aperte vocat Paulum Samosatenum *primum parentem huius impietatis* [Theodori Mopsuesteni] : « τὸν πρῶτον τῆς ἀσεβείας πατέρα », — et Nestorium *ultimum huius radicis impium surculum* : « τοῦ τελευταίου τῆς ῥίζης ἀθεωτάτου βλαστήματος » (1). — Asserit praeterea Theodorum Mopsuestenum, qui dubio procul huic theologorum accensetur coetui, et maxime eius sectatores, « οἱ περὶ Θεόδωρον », fuisse veros Pauli Samosateni discipulos, adeo ut fere iisdem utantur verbis, « σχεδὸν γάρ τι καὶ διὰ τῶν αὐτῶν χωροῦσι λέξεων », eorum scripta potius videantur esse transcriptio quam primitiva compositio « ὡς μὴ συγγραφὴν δοκεῖν εἶναι τὰ τούτων συντάγματα, ἀλλὰ μεταγραφὴν μᾶλλον », imo placita ipsius Pauli Samosateni in sua propria convertant, « τὰ ἐκείνου [Παύλου τοῦ Σαμοσατέως] εἰς τὰ οἰκεῖα μεταβαλλόντων » (2).

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.*, » 1388 D-1389 A.

(2) Ibid., 1392 D. — Caeterum pro dependentia theologorum Syrorum a Paulo Samosateno, cf. J. C. Ehrlich, « *Dissertatio de erroribus*

Hactenus Leontius Byzantinus. Nullatenus nobis animo est eius contradicere iudicio. Attamen, apprime de veritate historica solliciti, debemus maximum adnotare discrimen quod intercedit Pauli Samosateni doctrinam inter atque eamdem Theodori Mopsuesteni. Nam Theodorus eiusque sequaces diserte profitebantur aeternam Verbi personalitatem, secundum symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, dum e contra idipsum aperte negabat Paulus Samosatenus. Hoc autem praenotato, etsi quaedam cognatio doctrinalis Theodorum devincat Paulo Samosateno, nihilo secius, alia ex parte, ingenti ambae christologiae seiunguntur discrepantia.

Caeterum derivatione unius christologiae ab altera postposita, quod speciatim ad nos impraesentiarum adtinet, in hoc profecto consistit ut indolem propriam christologiae Syrorum exhibeamus.

Iam age : indole propria Theologi Syri sat ad *separationem* inclinabantur. Praeprimis enim de integritate utriusque naturae servanda solliciti, simulque verentes ne per unionem in presso sensu sumptam magis deprimeretur Divinitas, seiungere ipsi moliebantur in Christo Deum et hominem. Duo propterea ceu capita palmaria retinebant, nempe : 1° Ab aeterno praeexistit Filius Dei; 2° Ex Maria in tempore natus est filius David. Exinde, si pronum reipsa erat explicare quomodo ambae naturae salvae et incolumes remanserint, difficilius erat inter ipsas concordiam componere, necnon aliquam stabilire unitatem. Utique, haud dene-

Pauli Samosateni, Lipsiae, 1745, p. 21-31. — Feuerlin, « *Dissertatio de haeresi Pauli Samosateni* » (Harnack, in « *Theologische Litteraturzeitung*, » 1883, col. 566 ».

gabant, ore saltem tenus, Syri, aliquam in Christo intercedere unitatem, quandoquidem docebant Christum quodammodo *unum*, ἕνα, esse et dici debere. Praesto enim nobis sunt in hanc rem explicita testimonia. THEODORUS Mopsuestenus aiebat : « Neque duos dicimus filios, neque duos dominos, quoniam unus est Filius secundum essentiam : « οὔτε δύο φαμὲν υἱοὺς, οὔτε δύο κυρίους, ἐπειδὴ... εἷς υἱὸς κατ' οὐσίαν » (1). Et DIODORUS apud LEONTIUM : « Non dico duos filios David », « Δύο υἱοὺς τοῦ Δαβὶδ οὐ λέγω » (2). — Idem omnino decernebant, divisionem saltem quoad praxim respuendo : « Divido naturas, inquiebat NESTORIUS, sed coniungo reverentiam » (3). Verum, quid efficaciae haec habere poterant, dum unionem reiiciebant hypostaticam? Ex una quidem manu penitus evertebant quod ex altera oscitanter aedificaverant. Et revera, eorum iudicio, Christus in se complectens divinitatem atque humanitatem, aliquo modo remanebat *unus*, sed simul, declarabant, est *alius* et *alius*, « ἄλλος καὶ ἄλλος », ex duabus coalescit *hypostasibus*, « ὑποστάσεσι », aut *personis* « προσώποις », demum duobus constat filiis « υἱοῖς ».

Ut igitur ex supra disputatis constat, Syri aliquam revera profitebantur in Christo *unitatem*. Quomodo autem efformaretur eiusmodi unitas ex duobus, quae Christo insunt, elementis, aut prorsus reticebant, aut ita eam interpretabantur ut reipsa eam submoverent. Equidem clare declarabant eam resultare ex duabus

(1) Symbolum Theodori Mopsuesteni, apud Mansi, IV, p. 1345 C. Cf. etiam Hahn, « *Bibliothek der symbole* », p. 231.

(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1388 A.

(3) *Sermo* I, translatus a Mario Mercatore, *P. L.*, 48, col. 762 A.

personis, imo ex duobus filiis, et, eapropter, statuebant duntaxat *unionem habitudinis*, « ἕνωσιν σχετικήν », aliquam *cognationem* « συναφείαν ». Itaque in doctrina Syrorum haud servabatur vera notio unionis hypostaticae.

Aegyptii. — Theologi Aegyptii prospiciebant potissimum *unitatem* Christi *ontologicam*, et, proin, unionem quam arctissimam inter duas naturas agnoscebant. Aliunde conceptu *soteriologico* perducti, in Verbi Incarnatione physicam tuebantur hominum redemptionem, et, idcirco, accessum profitebantur Incorruptibilitatis, « ἀφθαρσίας », Divinitatis ad humanae naturae corruptibilitatem. Quae cum ita se habeant, nemo non perspicit *unionem physicam*, « ἕνωσιν φυσικήν », duarum naturarum praecipuum fuisse caput christologiae Aegyptiorum. Insuper perfectio humanae naturae constituebat quoque eiusdem christologiae postulatum inconcussum : « τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον ». Ita Gregorius Nazianzenus (1).

Ex his liquido patet politiorem atque explicitiorem fuisse Aegyptiorum christologiam. Si compendiosa contrahatur forma, his tribus tota continetur : 1° Docebat unionem *physicam*, non vero tantum *moralem*, duarum naturarum; 2° profitebatur *unitatem personae;* 3° statuebat *perfectionem* humanae naturae.

IV. — Cyrillus. — Cum Cyrillo Alexandrino, ob eius nominis praestantiam, eiusque pro defensione fidei orthodoxae ardorem atque labores, novum revera inchoatur stadium in evolutione dogmatis christologici. Iam Cyrilli christologia, prout ex eius colligitur scri-

(1) *Oratio* 50, seu *epist. ad Cledonium* 1ª, *P. G.*, 37, col. 181 C.

ptis, summatim in duo coarctatur puncta : 1° Strenue propugnat Doctor Alexandrinus realem Christi unitatem. Utique, inquit ipse, Verbum Divinum aeternum existens, homo factum est, seu, simul humanam assumpsit carnem, et animam rationalem item humanam, verum *unum* remansit post Incarnationem sicut ante Incarnationem : « μεμένηκε γὰρ [Λόγος] ὅσπερ ἦν, τοῦτ' ἔστι φύσει Θεός· προσλαβὼν δὲ καὶ τὸ εἶναι ἄνθρωπος, ἤτοι γενέσθαι καθ'ἡμᾶς ἐκ γυναικὸς κατὰ σαρκά, πάλιν εἷς μεμένηκεν υἱός· πλὴν οὐκ ἄσαρκος, καθὰ πάλαι, ἤτοι πρὸ τῶν τῆς ἐνανθρωπήσεως καιρῶν, ἀμφιασάμενος δὲ ὥσπερ καὶ τὴν ἡμετέραν φύσιν » (1). 2° Duae naturae, divina scilicet et humana, peracta unione, remanent distinctae et inconfusae : « Ἐννοοῦντες τοίνυν τῆς ἐνανθρωπήσεως τὸν τρόπον, ὁρῶμεν ὅτι δύο φύσεις συνῆλθον ἀλλήλαις καθ'ἕνωσιν ἀδιάσπαστον, ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως · ἡ γὰρ σάρξ σάρξ ἐστι, καὶ οὐ θεότης, εἰ καὶ γέγονε Θεοῦ σάρξ · ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Λόγος Θεός ἐστι καὶ οὐ σάρξ, εἰ καὶ ἰδίαν ἐποιήσατο τὴν σαρκὰ οἰκονομικῶς » (2).

Cum autem ad unum continuo intenderit Cyrillus, videlicet contra Nestorium decertare, eiusque explodere impietatem, ideo summopere rimatur dogma christologicum, aliasque consequenter proponit explicationes. Quapropter expedit, ad rei complementum, ut nonnullas alias revocemus formulas seu locutiones Cyrillianas, quae nonnihil momenti sibi compararunt in historia christologiae.

Ad inculcandam intimam Christi unitatem tres potissimum formulas usurpat Doctor Alexandrinus. Primum enim adhibet formulam traditionalem, quae erat veluti tessera fidei orthodoxae, scilicet, « *unionem*

(1) *Epist. 2ª ad Succensum, P. G.*, 77, col. 240 B.
(2) *Epist. 1ª ad Succensum, P. G.*, 77, col. 232 C.

physicam, « ἕνωσιν φυσικήν ». Qua sane formula utramque ferit adversariam partem. Nam per vocem « ἕνωσιν » indicat in unione duas naturas, nedum evanuisse, bene vero incolumes servatas fuisse, contra Monophysitas profitentes *commixtionem*, « κρᾶσιν », aut *confusionem*, « σύγχυσιν » naturarum. Per appositionem vocis « φυσικήν » denuntiat contra NESTORIUM veram realemque unionem, ac simul respuit unionem mere *moralem*, cuiusmodi est unio *affectionis*, *inhabitationis*, *sympathiae*, etc...

Alia CYRILLI locutio est : « ἐκ δύο φύσεων εἷς ». Eiusmodi formula sat delineat indolem eius christologiae. Christus utique est *unus*, sed simul duabus constat naturis, hoc est : ad germanam Christi constitutionem duae naturae sunt aeque necessariae, neque sufficit natura divina induta seu circumfusa duntaxat humanitate, ceu arbitrabantur Nestoriani.

Tertiam demum reperimus apud CYRILLUM locutionem, qua iterum profligatur haeresis nestoriana. Quandoque docet Doctor Alexandrinus in Christo duas naturas nonnisi mentis conceptu accipi posse : « κατὰ μόνην τὴν θεωρίαν ». Huiuscemodi formula, quae, primo intuitu, videtur indolem fragrare Monophysismi, sensum praebet omnino orthodoxum, dummodo prae oculis habeatur scopus ad quem adhibetur. Et re sane vera praefata locutio semper opponitur falsis Nestorianorum locutionibus, cuiusmodi sunt : « dividere unum Christum in duos filios », « διαιρεῖν τὸν ἕνα Χριστὸν εἰς δύο υἱούς », aut personas, « πρόσωπα », aut « hypostases, « ὑποστάσεις ». Ex quo proinde manifestum fit locutionem cyrillianam « διαιρεῖν τῇ θεωρίᾳ μόνῃ », hunc obiicere significatum, nimirum, personam Christi frui

vera unitate in qua ratio speculativa agnoscere potest distinctionem naturarum haudquaquam per ipsammet unionem ablatam.

Priusquam christologiam dimittamus CYRILLI, unum superest adnotandum. Quoniam nonnulli auctores, praesertim inter Veteres, per calumniam adnumerare ausi sunt CYRILLUM Monophysismi antesignanis, propter famosam formulam, « *Una natura Verbi incarnata* », opus est vindicemus sententiam praesulis Alexandrini contra praeposteram interpretationem. Hoc autem paucis luculentissime evincetur. Et sane quid enuntiat CYRILLUS? Haud dicit : Una natura Verbi *Incarnati*, « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένου », quod procul dubio indicaret in Verbo Incarnato unicam tantum remanere naturam. Sed loquitur CYRILLUS de una natura Verbi *incarnata*, « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη ». Porro hoc verissimum est. In Christo enim sunt duae naturae; ast natura, quae est incarnata, est una tantum, scilicet *divina;* nam natura humana neutiquam fuit incarnata. Unde cum vox « *incarnata* », non possit praedicari nisi de divina Christi natura, consequitur eapropter non fuisse in Christo nisi unam naturam incarnatam.

II. — CHRISTOLÓGIA EPHESINA.

In dies magis magisque percrebrescente lue nestoriana gregemque Fidelium perturbante, ad malum arcendum, coacta fuit synodus Ephesina, oecumenica III• (an. 431). Omnibus notissimum est cum fato historico dogmatis christologici coniunctissime connecti Ephesinam synodum, quippe quae eventum praestan-

tissimum pro ipsa christologica doctrina signat. Quocirca, ut rite valorem actorum eiusmodi synodi intelligamus, eiusdemque statuti genuinum capiamus significatum, operae pretium est ut nonnihil temporis eius impendamus examini.

I. — Neque semper, neque ab omnibus aequa lance ponderatae fuere partes synodi Ephesinae, necnon influxus ab ipsa exercitus in explicationem dogmatis christologici. Opinio enim vulgaris censet synodum Ephesinam explicite ac positive adprobasse et suscepisse epistolam synodalem synodi Alexandrinae complectentem XII Anathematismos Cyrilli, et ideo eiusmodi Anathematismos suos fecisse. Sic, ut quosdam in rei confirmationem referamus auctores, Denzinger, ubi tradit decreta synodi Ephesinae, sub littera A ponit ipsos Anathematismos Cyrilli cum hac nota : « Anathematismos istos synodus III suscepit » (1). Ipse Cl. Kraus obtestatur similiter omnes Ephesinos Patres recepisse Anathematismos cyrillianos (2).

Haec autem sententia haudquaquam est historicae veritati consentanea. Nam Anathematismi Cyrilli nullimode fuere a synodo Ephesina probati et suscepti. Quae assertio sequentibus suadetur momentis :

Apprime enim, quamquam verum est epistolam ipsam synodalem synodi Alexandrinae fuisse perlectam coram Patribus Ephesinis, non penitus constat ipsos Anathematismos epistolae adnexos recitatos fuisse.

Deinde nullum exstat historicum documentum ex-

(1) *Enchiridion*, XII, p. 21.

(2) « Tous (les Pères) déclarèrent Nestorius déposé, et adoptèrent les anathématismes de Cyrille. » (*H. E.*, versio gallica a Godet et Verschaffel, tom. I, p. 271.)

presse testificans Anathematismos fuisse a synodo adprobatos.

Praeterea acta synodi nihil continent respiciens huiusmodi Anathematismos, imo neque ipsam epistolam synodalem, quacum fuerant transmissi.

Ipse TILLEMONT (1) nonnisi per praesumptionem censuit synodum Ephesinam minuto revera subiecisse examini epistolam synodalem una cum Anathematismis, verum, hoc loco, omissionem irrepsisse in Acta synodi (2).

Quod autem maioris adhuc est roboris, Patres Ephesini explicito suffragio probaverunt secundam CYRILLI ad NESTORIUM epistolam, et iterum reprobaverunt epistolam NESTORII ad CYRILLUM. Perlecta enim suamet epistola ad NESTORIUM, petiit CYRILLUS a Patribus an eiusmodi epistola cum symbolo Nicaeno consentiret. Omnes Patres responderunt affirmative, imo eorum centum et viginti sex suum responsum adornarunt brevibus orationibus, quibus CYRILLUM encomiis celebrabant.

Deinde perlecta fuit epistola NESTORII ad CYRILLUM. Triginta quatuor episcopi suffragio positivo declararunt epistolam NESTORII neutiquam cum symbolo Nicaeno convenire. Consequenter omnes episcopi unanimi voce

(1) *Mém.*, tom. XIV, p. 405.

(2) « Il est donc bien probable qu'on lut en même temps (que la lettre synodale) ces douze anathématismes, mais il n'est dit nulle part d'une manière expresse qu'ils aient été approuvés par le synode d'Éphèse. Les actes du synode ne renferment absolument rien au sujet de ces anathèmes de Cyrille et de la lettre synodale, avec laquelle ils avaient été envoyés. Tillemont a présumé que le synode avait discuté en détail sur ce point, mais que pour cet endroit, comme pour plusieurs autres, il y avait dans les actes une lacune ». (Héfélé, *Histoire des Conciles*, trad. franç. par Goschler et Delarc, tom. II, p. 364, *note* 2).

anathemate ferierunt NESTORIUM, eius doctrinam eiusque sequaces (1).

Quoad verum epistolam CYRILLI synodique Alexandrinae XII Anathematismos complectentem, nullum Patres Ephesini emisere suffragium. Hoc autem silentium intelligi nequit si synodus Ephesina, prout autumant aliqui auctores, Anathematismos cyrillianos suscepisset.

II. — Reiecta igitur, utpote historiae veritati dissona, positiva approbatione Anathematismorum praesulis Alexandrini a synodo Ephesina, superest proinde declaremus, quid ergo precise egerint Patres Ephesini. Ut intra debitos veritatis historicae consistamus limites, asserimus unum duntaxat fecisse Ephesinam synodum. Etenim in prima sessione, quae tota habet indolem dogmaticam, explicite atque fere unanimi voce *damnarunt* Patres *haeresim nestorianam.* Haec est praecipua actio synodi Ephesinae. Supervacaneum est ut recitemus sententiam ipsam, qua profligatus fuit NESTORIUS (2). Hoc est munus veluti negativum synodi Ephesinae.

III. — Ulterius progrediamur et inquiramus an synodus Ephesina aliquid positive definiverit. Porro nullam definitionem positivam aut expositionem doctrinalem protulere Patres Ephesini. Utique apposite damnatus fuit NESTORIUS; ast accurate advertendum est, quod nonnulli neglexerunt auctores, sententiam contra NESTORIUM prolatam nullatenus determinare doctrinam propter quam damnatus fuit patriarcha Constantinopolitanus. Reprobant Patres Ephesini sententias nesto-

(1) Mansi, IV, p. 1139-1478; Hard., tom. I, p. 1363-1395.
(2) Ibid., IV, p. 1211.

rianas, sed simul tacent revera capita doctrinalia, propter quae eiusmodi damnatio fuit edita. Exinde patet ex facto damnationis NESTORII ne minimum inferri posse indicium quo liceat praedefinire num synodus Ephesina aliquam docuerit atque inculcaverit doctrinam.

Hoc autem eo vel magis verum est quod ex more regulisque ordinarie usurpatis, quotiescumque aliquod concilium definit aliquod dogma, quamdam expositionem fidei conficit. Ast in concilio Ephesino, praeter partem negativam, quae respicit damnationem NESTORII, nulla condita fuit positiva fidei expositio veritates aliquas dogmaticas proponens. Imo vetuit edere formulam. Hoc sat est ad demonstrandum nihil Ephesinos Patres in ambitu fidei decrevisse.

IV. — Attamen haud est absolute inferendum synodum Ephesinam nullos protulisse doctrinales fructus. Revera synodus suam habuit sequelam. Si ipsa nihil positive definivit, nihilo tamen minus eius veluti dogmaticam conclusionem reperire fas est in aliis solemnioribus actibus. Iam, stricte veritati historicae stando, sequela doctrinalis synodi Ephesinae continetur simul et effertur à symbolo unionis inter Antiochaenos et Alexandrinos edito in festo nativitatis D. N. I. C. an. 432. Eiusmodi symbolum, ab Antiochaenis propositum, iam fuerat Ephesim allatum a comite IOANNE ac imperatori THEODOSIO remissum. Deinde receptum fuit ab ipso CYRILLO.

Videamus igitur quaenam sit doctrina in hocce symbolo exposita. Atque, quibusdam aliis praetermissis haudquaquam nostrum respicientibus argumentum,

in ambitu christologico sequentia declarantur a symbolo unionis :

1° Dominus noster Iesus Christus, « τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν » est simul *Deus perfectus et homo perfectus* : « Θεὸν τέλειον καὶ ἄνθρωπον τέλειον ».

2° Constat *anima rationali* et *corpore* : « ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος » (Contra Apollinaristas).

3° *Unio* facta est *duarum naturarum* : « δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε ».

4° Christus pollet vera et ontologica unitate. Datur enim *unus Christus*, *unus Filius*, *unus Dominus* : « ἕνα Χριστὸν, ἕνα Υἱὸν, ἕνα Κύριον ὁμολογοῦμεν ».

5° Eiusmodi unio duarum naturarum facta est citra *confusionem* : « κατὰ ταωτὴν τὴν τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως ἔννοιαν », κ. τ. λ.

6° B. V. Maria est revera *Mater Dei :* « ὁμολογοῦμεν μὲν τὴν ἁγίαν Παρθένον Θεοτόκον ».

7° Agnoscitur *unitas personae* et *dualitas naturarum*. Quaedam enim locutiones applicantur Christo ut uni personae convenientes : « ὡς ἐφ' ἑνὸς προσώπου », aliae autem ut pertinentes ad duas naturas : « ὡς ἐπὶ δύο φύσεων » (1). Attamen adnotandum est auctores symboli declarare partitionem huius duplicis classis locutionum a Patribus se accepisse : « ἴσμεν τοὺς θεολόγους ἄνδρας », κ. τ. λ.

Haec sunt sane capita doctrinae, quae merito haberi possunt ceu conclusiones dogmaticae synodi Ephesinae. Iam advertas velim in hocce symbolo nullam contineri ex illis formulis, quae postea habitae sunt veluti tessera fidei orthodoxae, cuiusmodi sunt : *unio phy-*

(1) Hard., I, p. 1703.

sica, « ἕνωσις φυσικὴ », aut, *unio essentialis*, « ἕνωσις οὐσιώδη, » aut, *unio secundum essentiam*, « ἕνωσις κατ' οὐσίαν », aut, demum, *unio hypostatica*, « ἕνωσις ὑποστατικὴ ». Neque iterum mentio fit formulae cyrillianae : « Μία φύσις... »

Symbolum declarat duntaxat naturas non fuisse confusas. Quomodo autem remanserint in unione nullimode docet.

III. — Christologia Chalcedonensis.

Ut in novum impingamus stadium dogmatis christologici, adeamus oportet synodum Chalcedonensem (an. 451) oecumenicam IV^am^, de eaque primum inquiramus quid suo supremo sanciverit patrocinio. Nullo autem negotio eruere possumus christologiam Chalcedonensem ex documento authentico.

I. — Age iam : sub duplici capite collocari possunt quaecumque complectitur definitio concilii Chalcedonensis : 1° Quid sit Christus; 2° Quomodo se habeant in Christo ambae naturae.

Quoad prius profitentur Patres Chalcedonenses D. N. I. C. perfectum esse in Deitate et perfectum in humanitate : « τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν Θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι (ὁμολογεῖν ἐκδιδάσκομεν) : esse simul Deum vere et hominem vere : Θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς, necnon consubstantialem Patri secundum Divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem : ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα ».

Quoad posterius statuunt Patres Chalcedonenses Christum in duabus naturis *inconfuse*, *immutabiliter*,

indivise, inseparabiliter esse agnoscendum : « ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως », tradunt nunquam, ob unionem, sublatam fuisse naturarum differentiam : « οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν », e contra autem fuisse servatam proprietatem utriusque naturae : « σωζωμένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως » ; atque concurrere in unam personam et in unam hypostasim : « καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης » : definiunt tandem Iesum Christum non esse in duas personas partitum aut divisum : « οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον », verum unum et eumdem esse agnoscendum Filium Unigenitum, Deum Verbum : « ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν μονογενῆ Θεὸν Λόγον ».

Haec est medulla doctrinae a synodo Chalcedonensi definitae atque stabilitae.

II. — Ultra progrediamur. Quomodo sit stricte interpretanda doctrina Chalcedonensis? Ad hanc quaestionem solvendam, quaedam praevie necessariae sunt declarationes.

Prouti luculentissime constat ex historia, in secunda synodi sessione, habita die 10 Octobris, post symbola Nicaenum et Constantinopolitanum, perlectae fuere, ceu documenta, duae Cyrilli epistolae, scilicet, epistola ad Nestorium (1), et epistola ad Ioannem Antiochaenum (2), deinde epistola dogmatica Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum (3).

His praenotatis, manum ad propositum admoveamus :

(1) *Epist.*, IV[a] apud Migne, *P. G.*, 77, col., 44-49 A.
(2) *Epist.*, XXXIX[a] apud Migne, *P. G.*, ibid., col. 173-181 C.
(3) Cf. Héfélé, *Hist. des Conc.*, trad. franç. par Goschler et Delarc, tom. III, p. 32.

Censet cl. Loofs (1) duplicem viguisse tendentiam christologicam tempore synodi Chalcedonensis, nimirum ORIENTALEM aliam a CYRILLO repraesentatam, ANTIOCHAENO-OCCIDENTALEM alteram, quam sectabatur LEO. Praecipuum inter duas has tendentias discrimen in hoc, eiusdem auctoris iudicio, consistit quod nempe, dum CYRILLUS in suis scriptis aperte et sine fuco affirmat humanam Christi naturam propria caruisse subsistentia, seu fuisse *anhypostaticam*, LEO e contra in sua ad FLAVIANUM epistola nunquam diserte declarat an humana Christi natura propria orbata fuerit subsistentia necne (2).

Ut meam hac de re mentem aperiam, candide fateor sententiam Cl. Loofs paululum ad excessum deflectere. Libenter concedimus in epistola dogmatica ad FLAVIANUM nullum reperiri explicitum testimonium declarans humanam Christi naturam propria caruisse subsistentia. Verum hoc implicite docetur. Et revera S. LEO bis disertis tradit verbis ambas Christi naturas in unam coivisse personam, videlicet in cap. 3 cuius exordium est : « Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae, et in unam coeunte personam ». Et iterum initio cap. 5 : « Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura ». His perpensis, hoc dilemmate perstringimus professorem Lipsiensem : Haec unica persona in quam coiverunt duae naturae, servata proprietate utriusque, aut est persona humana aut divina. Porro ne mente quidem suspicari quit S. LEONEM

(1) P. 51-52.

(2) Dieser Brief (Leonis ad Flavianum) enthält nun freilich darüber gar Keine Aussage, ob die menschliche Natur Christi anhypostatisch zu denken sei, oder nicht (p. 52).

censuisse hanc unicam personam fuisse humanam, Verbumque eapropter Divinum per suipsius Incarnationem, suam aeternam amisisse personalitatem. Igitur haec unica persona, in mente S. LEONIS, non alia erat nisi persona Verbi Divini, ex quo proin consequitur eum habuisse naturam humanam ceu propria carentem subsistentia.

III. — His praevie expeditis, redeamus ad synodum ipsam Chalcedonensem, de qua duo necessarium est inquiramus, nempe : Quaenam fuerit eius indoles, et quaenam vis eius definitionis.

A) Ad prius quod adtinet, nonnihil discedimus a Cl. Loofs, atque arbitramur eius sententiam esse castigandam. Docet Cl. auctor synodum Chalcedonensem maiorem habuisse Cyrillianam indolem, quam saepissime exponitur (1). Nos vero putamus indolem synodi magis esse leoninam, quam quidcumque aliud, et, proinde, ut accuratius nostram efferamus opinionem, definitionem Chalcedonensem esse expressionem fidei Ecclesiae Occidentalis Orientali impositam. Hoc autem assertum duplici potissimum probamus ratione :

1° Uti compertum est, Patres Chalcedonenses magnis plausibus epistolam LEONIS ad FLAVIANUM celebrarunt. Iam quis sibi effingere potest Patres Chalcedonenses, post tot ac tanta encomia, quibus pontificiam excepերunt epistolam, ipsam neglexisse, postposuisse nihilique fecisse, quando suammet protulere definitionem? Igitur valde probabile est Patres Chalcedonenses epistolam LEONIS prae oculis habuisse, cum suam enuntiarunt definitionem.

(1) Das Symbol von Chalcedon ist cyrillischer als es vielfach dargestellt wird (p. 50.)

2° Idem deinde mirifice confirmatur ex parallelismo definitionem Chalcedonensem inter et Leonis epistolam. Pluries enim eadem aut simillima verba in utroque inseruntur documento, ut perspicere pronum est ex schemate quod huc opponimus :

Definitio synodi Chalcedonensis.	**Epistola dogmatica Leonis.**
Θεὸν ἀληθῶς [Ἰησοῦν Χριστὸν] καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς.	« Qui enim verus est Deus idem verus est homo ». (Cap. 4.)
Τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος.	« In ea carne, quam assumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit ». (Cap. 2.)
ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.	« Nec in Domino Iesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis.... Sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit ». (Cap. 4.)
κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν χωρὶς ἁμαρτίας.	« Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati ». (Cap. 3.)
πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς Παρθένου τῆς Θεοτόκου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.	« Idem vero Sempiterni Genitoris Unigenitus natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ». (Cap. 2.)

Definitio synodi Chalcedonensis.	**Epistola dogmatica Leonis.**
σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον.... συντρεχούσης.	« Salva igitur proprietate utriusque naturae... et in unam coeunte personam ». (Cap. 3.)

Ut autem rem, quam versamus, penitius introspiciamus, simulque propius ad veritatem accedamus, haec proponimus : Etsi, uti ex suprą dictis indubie constat, formula Chalcedonensis fidem fragret Occidentalem, ipsa tamen fuit potius Patribus imposita et ab Occidente transmissa, quam sponte marteque proprio ab ipsis condita ac libenter suscepta et admissa. Inde affirmare revera quimus Patres Chalcedonenses, quamvis formulam protulerint dogmaticam, quae materialiter et in vocibus spectata mentem exprimit Leonis, nihilominus imbutos ipsos fuisse doctrinis sententiisque Cyrillianis. Itaque definitionem enuntiarunt, quae privatis eorum opinionibus repugnabat. Vi huiusce distinctionis et cum hac restrictione possumus quodammodo pacem componere cum nimium Cl. Loofs exagerata sententia potiores partes Cyrilliano influxui tribuente. Concludimus ergo : Membra synodi Chalcedonensis doctrinis Cyrilli addictissima erant, atque, ceu theologi privati, eas maxime confovebant; verum, quoad exitum, eiusmodi protulere definitionem, quae nihil aliud est quam sincera fidei *leoninae* expressio.

His explanatis, nunc videamus quid excipiant illi qui autumant definitionem synodi Chalcedonensis nimium, quo par est, Christologiam Cyrilli prodere eiusdemque veluti indole perfundi :

1° Excepta, aiunt, locutione « ἐν δύο φύσεσιν », in

definitione Chalcedonensi omnes conceptus servantur a CYRILLO, plerumque verbo, enuntiati (1).

Resp. — Huic animadversioni reponimus. Primum Patres Chalcedonenses, prouti supra adnotavimus, conceptibus cyrillianis enutriti erant. Nil igitur mirum si aliquod vestigium huius mentis dispositionis insculptum reperiatur in formula ipsa; deinde locutio « ἐν δύο φύσεσιν » praecellentem denuntiat innovationem. Demum, post synodum Ephesinam et controversias a Nestorianismo excitatas, quaedam doctrinae substantia communis erat tunc temporis theologis.

2° Addunt : Ceu genuina rectae fidei interpretatio, *implicite* agnita fuit CYRILLI ad NESTORIUM epistola (2) una cum adnexis Anathematismis (3).

Resp. — Haec secunda exceptio innititur facto historico omnino falso. Etenim falsum est epistolam amplectentem Anathematismos fuisse quomodocumque perlectam coram Patribus Chalcedonensibus. Quaecumque enim varias CYRILLI epistolas apud synodum Chalcedonensem respiciunt, huc veniunt. In secunda sessione, uti iam supra retulimus, duae lectae fuerunt CYRILLI epistolae, nempe : epistola ad NESTORIUM (4), et epistola ad IOANNEM Antiochaenum (5). Haec autem

(1) Mit Ausnahme des « ἐν δύο φύσεσιν » lassen sich alle Gedanken, die meisten wörtlich, bei Cyrill nachweisen. (Loofs, p. 50.)

(2) *Epist.* XVII[a], apud Migne, *P. G.*, 77, col. 105-121.

(3) Sind als recte Erlaüterungen des recten Glaubens anerkannt Mansi, VII, p. 114.) Cyrill's epp., synodicae an Nestorius, d. h. a.)... b) implicite, ep., 17, Migne, 77, col. 105 seqq. mitsammt den ihr angehängten 12 Anathematismen. (Loofs, p. 50.)

« Anathematismos istos synodus IV in acta retulit, et epistolas Cyrilli canonicas vocavit. » (Denzinger, *Enchiridion*, XII, p. 21.)

(4) IV[a], apud Migne.

(5) XXXIX[a], ibid.

documenta iam lecta fuerant in prima sessione inter acta synodi Constantinopolitanae. Quod autem pertinet ad epistolam Anathematismos continentem, utique nonnulli episcopi, scilicet episcopi Illyriae, postularunt ut ipsa legeretur instar epistolae LEONIS ad FLAVIANUM. Verum synodus noluit huic petitioni accedere. Et ideo epistola, cui adnexi erant Anathematismi, fuit explicite et positive a synodo exclusa (1). Porro si Patres Chalcedonenses neque concedere voluere lectionem epistolae, quam concomitabantur Anathematismi, nemo non videt quam temerarium ac arbitrarium sit asserere ipsam utcumque, sive *implicite*, sive *explicite* fuisse a synodo susceptam et adprobatam, ut rectae fidei expressionem.

Suam criticam inquisitionem de indole synodi Chalcedonensis absolvit Cl. Loofs hac quaestione : « Quomodo interpretari debeat synodus Chalcedonensis num in sensu Cyrilliano, an in sensu Occidentali-Antiochaeno? » (2). Eiusmodi quaesito, concesso tamen dogma veteris Ecclesiae graecae, nonnisi tempore IUSTINIANI, suam esse adsequutum conclusionem, respondet asserendo apud Chalcedonem tritam fuisse responsionem ob praepotentem CYRILLI influxum (3).

Ex his patet Cl. auctorem opinari mentem CYRILLI apud Patres Chalcedonenses praevaluisse.

Ad huius autem sententiae falsitatem patefaciendam, praesto nobis est quoddam documentum cuius sane valor nequit ullatenus infringi. Summus Pontifex GELASIUS (492-496), qui vixit post synodum Chalcedonensem,

(1) Hard., II, p. 307 et seqq.; — Mansi, VI, p. 974 et seqq.

(2) Wie sollte das chalcedonense interpretiert werden, cyrillisch oder abendländisch-Antiochenisch? (P. 53.)

(3) « Angebahnt war zu Chalcedon die Antwort durch das Uberwiegen des Cyrillischen Einflusses. (*Ibid.*)

conscripsit « Tractatum de Incarnatione Verbi » (1). In hocce tractatu prolixum affert auctor elenchum testimoniorum Patrum cum Orientalium tum Occidentalium ad doctrinam de Verbi Incarnatione explicandam et confirmandam. Nullatenus autem in medium adducitur CYRILLUS Alexandrinus. Qui vero fieri quit ut GELASIUS penitus auctoritatem reticeat CYRILLI, si hic, uti autumat Cl. Loofs, tantum munus atque tantum exercuisset influxum in Patres Chalcedonenses, adeo ut eorum definitio mente veluti CYRILLI sit impressa? Fateamur igitur silentium GELASII nonnisi summa cum difficultate conciliari posse cum facto praepotentiae CYRILLI apud synodum Chalcedonensem.

Hoc autem eo vel magis confirmatur quod nunquam Pontifices, sive ante synodum Chalcedonensem sive post, mentionem fecerunt epistolae Anathematismos complectentis, neque unquam ad eam provocarunt, saltem usque ad aetatem IUSTINIANI imperatoris. Unum tantum a primodiis ad IUSTINIANUM usque, quod spectat ad CYRILLUM, fecerunt Summi Pontifices, nempe historice memorarunt synodum Ephesinam.

Ad indolem igitur synodi Chalcedonensis penitus inculcandam, perutile erit urgere ea quae supra scripsimus. Id autem vel maioris erit ponderis quod sententiae, quae inter se videntur inferre oppositionem, forsitan amice componentur, si prae mente revocetur distinctio iam a nobis proposita. Nam plerique saltem Patres Chalcedonenses indubie sententias secum nutriebant Cyrillianas; verum, hoc non obstante, formulam revera *leoninam* edidere. Fuit igitur oppositio inter

(1) Ed., Thiel.

privatas eorum opiniones et formulam, quam evulgarunt. Ut uno per modum conclusionis absolvamus, *aliter sentiebant* Patres Chalcedonenses, *aliter docuerunt*. In *foro interno* erant Cyrilliani, *externe* autem se gesserunt ut adamussim fidem Leonis sectantes. Et hoc, quia non libere definitionem protulerunt, sed potius coactionem subierunt Ecclesiae Occidentalis, et ideo formulam eius fidei consentaneam ediderunt.

Neque reticendum est Patres Chalcedonenses formulas cyrillianas romanis anteponere maluisse pro parte sua. Etenim suadebantur, aut, saltem suspicabantur formulas romanas *theoriae* Cyrilli haud posse aptari. Imo, quod revera gravioris est momenti, quodam innixi motivo specie saltem cogente, verebantur ne formulae romanae theologiae reipsa nestorianae patrocinarentur. Quod autem ipsos ad hoc movebat erat ipsamet ratio agendi Theodoreti. Nam Theodoretus formulas recipiebat romanas easque approbabat. Porro, iudicio Patrum Chalcedonensium, Theodoretus adsecla erat Nestorianismi. Igitur in suspicionem coniiciebantur ne Theodoretus ideo suum formulis romanis impertiretur assensum quia nempe animadvertebat ipsas componi posse cum christologia Nestoriana.

Aliquam praeterea dissensionem viguisse inter Patres Chalcedonenses et theologos Romanos, ex hoc uno constat facto. Namque synodus Chalcedonensis usurpare volebat formulam « ἐκ δύο φύσεων ». Vi enim huiusce formulae obvium est et aliam propugnare formulam « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη », id est tueri aut doctrinam Cyrilli aut doctrinam Monophysismi. Et contra Doctores Romani formulam « in duabus naturis (ἐν δύο φύσεσιν) post Incarnationem » urgebant, ei-

que quam maxime adhaerebant. Haec enim formula ex una parte penitus excludit omnem sensum monophysitam; nam aperte affirmat, etiam post Incarnationem, Christum in « *duabus* subsistere *naturis* »; ex altera autem haud *propriam* esse ostendit formulam Cyrillianam « μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη », eiusdemque defensores cogit eam interpretari, rectumque ei adnexum esse sensum demonstrare.

Quamvis autem formula romana reipsa apud Chalcedonenses praevaluerit, nihilominus haud evanuit influxus CYRILLI : e contra vero, vi cuiusdam reactionis, suos manifestos habuit vindices. Instauratio mentis CYRILLI, eiusque christologiae tutamen, opus fuere imperatoris ZENONIS. Hic enim valde doctrinam CYRILLI commendavit edicto suo quod dicitur *Henoticum* (482). Ex EVAGRIO (1) habemus quodnam fuerit praecipuum *Henotici* ZENONIS argumentum. Porro *Henoticum* non aliud agnoscit recipitque symbolum nisi Nicaenum, quod fuit Constantinopoli sancitum : « ἡμεῖς καὶ αἱ πανταχοῦ Ἐκκλησίαι ἕτερον σύμβολον ἢ μάθημα, ἢ ὅρον πίστεως, ἢ πίστιν πλὴν τοῦ εἰρημένου ἁγίου Συμβόλου τῶν τιη' ἁγίων Πατέρων [i. e. ἐν Νικαίᾳ συναθροισθέντων], ὅπερ ἐβεβαίωσαν οἱ μνημονευθέντες ρν' ἅγιοι Πατέρες [i. e. οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντες], οὔτε ἐσχήκαμεν, οὔτε ἔχομεν, οὔτε ἕξομεν ». Idem symbolum secuti sunt Sancti Patres qui Ephesi convenerunt et qui impium NESTORIUM... deposuerunt : « Ὧ καὶ ἐξηκολούθησαν οἱ ἅγιοι Πατέρες οἱ ἐν τῇ Ἐφεσίων συνελθόντες, οἱ καὶ καθελόντες τὸν ἀσεβῆ Νεστόριον ». Damnat Imperator NESTORIUM et EUTYCHETEM, utpote contraria memoratis Patribus sentientes : « καὶ ἡμεῖς

(1) *H. E.*, III, 14.

Νεστόριον ἅμα Εὐτυχεῖ τἀναντία τοῖς εἰρημένοις φρονοῦντας ἀναθεματίζομεν ». — Suscipit XII CYRILLI contra NESTORIUM Anathematismos : « δεχόμενοι [ἡμεῖς] καὶ τὰ ιβ′ κεφάλαια τὰ εἰρημένα παρὰ τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Κυρίλλου ». Demum reprobat quicumque aliter sentit sive nunc, sive olim Chalcedone, sive in alia qualibet synodo : « πάντα δὲ τὸν ἕτερόν τι φρονήσαντα, ἢ φρονοῦντα, ἢ νῦν, ἢ ἐν Καλχηδόνι, ἢ οἵᾳ δήποτε συνόδῳ ἀναθεματίζομεν ».

Haec sunt potissima capita quae in *Henotico* imperatoris ZENONIS enuntiantur. Uti autem ex locis excerptis luculentissime constat, edictum hoc nihil aliud proprie est quam exaltatio CYRILLI et abrogatio synodi Chalcedonensis. Opponendo autem CYRILLUM synodo Chalcedonensi, *Henoticum* sat clare indicat mentem formulasque Doctoris Alexandrini minime Chalcedoni praevaluisse. Unde, respuendo synodum Chalcedonensem, ad CYRILLI doctrinam redire nititur.

Haec autem cum ita se habeant, iam facillime intelligitur quare Summi Pontifices romanique Doctores, in suis documentis, nunquam ad CYRILLUM provocant. Hic enim ab Orientalibus, iure aut iniuria, veluti fidei romanae et Occidentalium adversarius opponebatur, sub eiusque proinde vexillo ipsi decertabant.

B) His de indole synodi Chalcedonensis disputatis, ad alterum manus admoveamus, nimirum quaenam sit vis eius definitionis. Paucis hoc punctum expediemus. Patres Chalcedonenses hoc tantum apposite definierunt nempe « duas in Christo existere naturas in unicam personam ». Igitur unitas personae ex una parte, dualitas naturarum ex altera, sunt duo capita, quae medullam constituunt definitionis Chalcedonensis. Quinam autem sit intestinus modus existendi dua-

rum naturarum in unica persona, quomodo eiusmodi naturae ad invicem se habeant, quaenam sint utriusque iura et praerogativae, an ambae propria gaudeant operatione propriaque voluntate, ne ullum profert definitio Chalcedonensis verbum. Factum declarat unitatis personae dualitatisque naturarum. Intimam autem connexionem duarum naturarum earumdemque relationem ad personam inexploratas dimittit. Hoc sub respectu synodus Chalcedonensis haud ingentem praebet progressum prae praecedentis aetatis christologia. Totum problema theologicum de vera duarum naturarum connexione, de earum iuribus ac potestate, integrum fere remanet. Versare funditus atque simul solvere istiusmodi aspectum dogmatis christologici munus erit subsequentium aetatum, speciatim autem, accedente sub IUSTINIANO Iº damnatione trium capitulorum a synodo oecumenica Vª (an. 553), synodi oecumenicae VIae (680) adversus Monothelitas.

CAPUT SECUNDUM.

De Aristotelismo Leontii Byzantini (1).

Descripta summis digitis evolutione christologica in saeculis, quae LEONTIUM Byzantinum praecessere, iam ad nostrum auctorem devenimus. Qui cum novam quasi

(1) Omnes textus, quos hinc deinceps afferemus, haud absolute demonstrant Leontium elementa suae doctrinae, saltem quoad aliqua, ab Aristotele magis quam a Stoicis, aut ab alia schola mutuasse. Verum luculenter patefaciunt maximum scientiae philosophicae praeclarissime excultae usum suae christologiae ipsum subiecisse.

periodum inchoet in christianae doctrinae historia, ideo nobis apprime incumbit investigare ac simul patefacere meritum eius proprium, quod potissimum consistit in methodo, qua usus est in disciplina theologica pertractanda. Et revera inquirens Cl. Loofs quinam locus in controversiis christologicis inter varias partes sit LEONTIO adscribendus, summatim quidem sed praeclarissime eius munera enarrat. Ait enim : « Neque exegetica, neque religiosa argumenta adhibentur (scil. a Leontio) verum philosophica; et considerationes philosophicae, a quibus pendent nostri auctoris argumenta, originem arguunt aristotelicam, non autem platonicam. Noster auctor est praecursor IOANNIS Damasceni (1) ».

Recta plane sunt eiusmodi verba. Et sane scripta evolventi LEONTII percontinuo constabit mentem auctoris ad imum usque ARISTOTELIS philosophia imbutam fuisse. Quapropter, habita ordinis chronologici ratione, fateri cogimur inter omnes Ecclesiae scriptores LEONTIUM primum aristotelica principia ad dilucidationem dogmaticarum quaestionum adhibuisse. Enimvero, exploratum omnino est Patres priorum Ecclesiae saeculorum, etsi argumentis praesertim exegeticis in scientia sacra explananda operam impenderent, quotiescumque tamen ad provinciam philosophicam appulerunt, ad placita PLATONIS deflexisse. Itaque operae pretium est, ut cum LEONTIO Byzantino primum in christianam theologiam ingressum sapientiae ARISTOTELIS perlustremus, quae decursu temporis tot ac tam eximia fata sibi comparare debebat. Nil iam aliud superest nisi

(1) Pag. 60.

ostendamus quantum Leontius peripateticam calluerit philosophiam (1). Ordinis gratia, pro diversis philosophiae partibus, quas explanavit Stagirita, sit :

I. — Logica.

Primo intuitu discipulum noscimus Aristotelis, si inspiciamus methodum, quam persaepe sectatur Leontius in suas disquisitiones. Non enim utitur narratione soluta et oratoria, neque, Platonis instar, poetico quodam sermone, verum formam usurpat rigorosam, scientificam, uno, syllogisticam, ad normam Aristotelis. Hoc autem, quod sat in omnibus eius scriptis affulget, liquido pronum est animadvertere in « XXX capitibus contra Severum ». Iam ad specimina descendamus specialia.

1° *De terminis*. Optime quidem, ad Stagiritae mentem, definit Leontius nonnullos terminos qui haud ignobiles partes in rebus logicalibus obtinent, cuiusmodi sunt « synonyma, homonyma, aequivoca ». Homonyma dicuntur ea quorum eadem est ratio, eademque natura : « Ὧν μία ἡ φύσις, inquit Leontius, κοινὸς ὁ λόγος· ὧν δὲ κοινὸς ὁ λόγος, καὶ ἡ ὕπαρξις ὁμοούσιος »... et, e contrario : « ὧν δὲ μηδέποτε εἷς ὁ λόγος, τούτων ἄρ' αἱ φύσεις δῆλον ὅτι διάφοροι » (2).

Clariora praeterea sunt quae eadem de re habet *Orthodoxus* in opere « Adv. Argum. Severi », ubi osten-

(1) *Nota.* — Cum scopus tertiae partis sit christologiam Leontii in lucem prodere, erit eapropter necessarium eius scripta explorare. Porro hoc in negotio nemo non videt potissimum ad genuina scripta esse recurrendum.

(2) « *XXX Cap.* », cap. 2.

dit definitiones synonymorum convenire iis quae eiusdem sunt generis, sicut e. g. definitio substantiae competit omnibus quae substantiae participant rationem, quamvis sint variae substantiarum species : « Οἱ γὰρ ὅροι τῶν πραγμάτων συνωνύμως κατηγοροῦνται κατά τε τῶν ὁμογενῶν· κατά τε τῶν ὁμοειδῶν, ὡς οἱ τὰ τοιαῦτα δεινοὶ ἀποδεικνύουσιν· εἰ γὰρ οὐσίαν ἁπλῶς ὁριζόμενοι, εἴποιμεν τήν τινος ὕπαρξιν δηλοῦν, πᾶν τὸ κοινωνοῦν τῆς οὐσίας τοῦ ὀνόματος, καὶ τοῦ ὅρου κοινωνήσει, κἂν μυρίος ᾖ τῶν οὐσιῶν διαφορά » (1).

Ubi speciatim animadvertas velim verba « sicut ostendunt periti », ὡς οἱ τὰ τοιαῦτα δεινοὶ ἀποδεικνύουσιν : Haec enim verba manifestam continent allusionem ad ipsum ARISTOTELEM, aut ad eos qui eius praeceptis logicalibus nutriti fuere.

2° *De nominibus.* Influxum quoque ARISTOTELIS absque ambagibus comperimus in leontiana nominum verborumque explicatione. Docet enim scriptor Byzantinus nominum quaedam, etsi sint in forma plurali, significationem tamen praebere singularem, et vicissim quaedam, forma singulari prolata, significationem ingerere pluralem : « τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων τὰ μὲν ἔχει τὴν προφορὰν πληθυντικήν, ἑνικὴν δὲ τὴν σημασίαν ὡς Θῆβαι καὶ Ἀθῆναι καὶ παρεμβολαί· τὰ δὲ ἔμπαλιν ἑνικὴν μὲν τὴν προφορὰν, πληθυντικὴν δὲ τὴν σημασίαν, ὡς τὸ χορὸς, δῆμος, στρατὸς, πόλις » (2). Quis in hoc textu non videt aristotelicam de nominibus collectivis theoriam?

3° *De universalibus et particularibus.* Rectissime etiam, ceu fidelis Stagyritae discipulus, docet LEONTIUS quo sensu universalia attribuantur particularibus et vicissim, seu, aptius, quomodo ad invicem se habeant

(1) 1921 C.
(2) « *XXX Cap.* », cap. 15.

universalia ac particularia; huc vero res, eius iudicio, venit ut particularia universalia participent (descensus universalium ad particularia, uti dicunt Scholastici) et consequenter universalia praedicentur de particularibus; ex quo sequitur ut communicatio individuorum ad universalia fiat secundum speciem, universalium autem ad particularia secundum appellationem : « Καθὼς οἱ τὰ λογικὰ σκέμματα διακρίνοντες παραδιδόασι (cuinam fieri potest allusio nisi Aristoteli aut eius sectatoribus?) τὰ μὲν ἐπὶ μέρους κοινωνεῖ τοῖς καθ' ὅλου, τὰ δὲ καθ' ὅλου κατηγορεῖται κατὰ τῶν ἐπὶ μέρους· καὶ τῶν μὲν ἀτόμων κοινονία ἐστί πρὸς τὸ εἶδος κατὰ τὴν φύσιν· τῶν δὲ καθ' ὅλου κοινωνία πρὸς τὰ μέρη κατὰ τὴν κλῆσιν » (1). Quis non putaret se non tantum Aristotelis, verum etiam S. Thomae audire interpretem?

4° *De propositionibus.* Noscit Leontius regulam illam Aristotelicam, quae respicit propositiones contradictorias, quaque declaratur duas huius generis propositiones haud posse simul esse veras. Impugnando enim adseclas Monophysismi Severi, ita loquitur : « ἢ τίς ὁ λόγος μηδὲ ποτέ συναληθευούσης τῆς ἀντιφάσεως, κατὰ λογικὴν ἀπόδειξιν » (2). Quid autem indicat illud comma « *secundum logicam demonstrationem* », nisi implicitam saltem mentionem regularum Aristotelis?

Iterum respectu propositionum, liquido vim declarat propositionum oppositarum, qua nimirum una affirmat quod alia negat, et vicissim : « τὰ κυρίως ἀλλήλοις ἀντικείμενα, ὅλην τὴν ἀπόφασιν καθ' ὅλης τῆς καταφάσεως ἀντιστρέφουσιν· οἷον τῇ λεγούσῃ καταφάσει Παῦλος ἀπόστολος, ἡ λέ-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.*, » 1289 D-1292 A.
(2) 1936 B.

γουσα ἀπόφασις Παῦλος ἀπόστολος οὐκ ἔστιν » (1). Haud difficile est in praeallatis verbis detegere regulam propriam logices peripateticae.

5° *De categoriis.* Claram adhuc in scriptis suis mentionem facit LEONTIUS categoriarum ARISTOTELIS, non tantum quoad rem, sed insuper quoad ipsummet nomen. Postquam ostenderit quomodo fiunt definitiones, addit in confirmationem regulae propositae : « ὅτι δὲ τοῦτο οὕτως ἔχει, δηλοῦσιν αἱ κατηγορίαι ». — Pergit deinde aliamque ARISTOTELIS doctrinam, quippe de generum subordinatione, attingit : « κατὰ τῶν ὑπ' ἀλλήλα τεταγμένων γενῶν συνωνύμως κατηγορούμεναι » (2).

6° *De praedicabilibus.* Norunt omnes quasnam notiones generales per praedicabilia designaverit Stagyrita. Iam scriptor Byzantinus explicite tria istiusmodi praedicabilium, nempe, *genus*, *differentiam* et *speciem*, in memoriam revocat simulque cum maiore rectitudine duo priora et de speciebus et de individuis praedicari : « κατηγοροῦνται δὲ καὶ τὰ γένη καὶ αἱ διαφοραί κατὰ τῶν εἰδῶν καὶ κατὰ τῶν ἀτόμων » (3).

7° *De differentia constitutiva.* Breviter de *differentia*, uti aiunt, *specifica* et *constitutiva* disserit, eiusque munus mire describit, dum docet proprium eius esse distinguere ea quae inter se essentialiter discriminantur : « Ἡ διαφορὰ διαφερούντων ἐστὶ διαφορὰ · αἱ δὲ συστατικαὶ διαφοραὶ τὰ οὐσιωδῶς διαφέροντα διακρίνουσιν » (4).

8° Tandem solent Logici inter varias entium species adnumerare ipsummet ens rationis, seu chimaeram,

(1) « *XXX Cap.* », cap. 18.
(2) « *Epilysis* », 1921 C.
(3) Ibid., 1921 D.
(4) « *XXX Cap.* », cap. 23.

et hoc sane ad Aristotelis praescripta consentanee. Eiusmodi porro entia memorat noster auctor. Etenim *Orthodoxus* ait Patres duas distinxisse cogitationes, quarum posterior nihil aliud est quam fictio cogitationis secundum implicationem sensus et imaginationis, cuiusmodi est fabulosa Hippocentaurorum et Sirenarum fictio : « ... ἡ δὲ ἀνάπλασμα διανοίας τυγχάνει, κατὰ συμπλοκὴν αἰσθήσεώς τε καὶ φαντασίας... ταιαύτη δὲ ἐστιν ἡ τῶν Ἱπποκένταυρων καὶ Σειρήνων, καὶ τῶν τοιούτων » (1).

Quae hactenus explanavimus nullatenus, puto, opus est demonstremus Aristotelis esse inventa, eiusdemque Logices partes elementaque constitutiva. Quicumque enim vel levi manu Logicam pervolverit peripateticam, nullo negotio contestabitur loca haec Leontii, quae supra exscripsimus, a disciplinis logicalibus Aristotelis esse deprompta (2).

II. — Metaphysica.

Altiora adhuc apparent in scriptis Leontii Aristotelicae metaphysicae vestigia. Tota eius doctrina dogmatica, dubio procul, nihil aliud est nisi elucidatio mysterii personae Christi ope metaphysicae peripateticae. Hoc plane perspicue patebit, quando expositionem eius de constitutione Christi doctrinae aggrediemur. Quo-

(1) « *Epilysis* », 1932 A.

(2) Pro genuina rerum interpretatione, cf. Zeller, *Philosophie der Griechen*, tom. III, 3ª ed.; — Franck, *Esquisse d'une histoire de la logique précédée d'une analyse étendue de l'Organon d'Aristote*, 1838; — Trendelenburg, *Elementa logices Aristotelicae in usum scholarum*, 1874, 7ª ed.; — Prantl, *Geschichte der Logik in Abendlände*, 1855-70; — Thurot, *Études sur Aristote*, 1860; — Em. Boutroux, art. Aristote, in *Magna encyclopoedia gallica*, tom. III, p. 933 et seqq., nº vii.

circa impraesentiarum sat erit quaedam singularia rimari eo ut duntaxat manifestum fiat LEONTIUM fuisse generali ARISTOTELIS metaphysicae, seu philosophiae primae addictissimum.

1° *De relationibus.* Luculentissime de relationibus edisserit. Occasione numeri desumpta, demonstrat relativa esse eiusmodi ut, tota quanta sunt, *ad aliud*, seu, per habitudinem ad aliud dicantur; eiusmodi sunt *supra* in ordine ad *infra* et vicissim : « ὥσπερ τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω πρὸς τὴν σχέσιν λέλεκται τοῦ ἀναβαίνοντος ἢ καταβαίνοντος, αὐτὸ δὲ ἀπολύτως λεγόμενον οὐδ᾽ ὁπότερόν ἐστιν· ὅτι καὶ ἀμφότερα δέχεται· καὶ ἄνω μὲν ὡς πρὸς τὸ κάτω, κάτω δὲ ὡς πρὸς τὸ ἄνω λέγεται... οὕτως καὶ ὁ αριθμὸς αὐτὸς » κ. τ. λ. (1).

Rursus de relativis profert effatum quod vulgare est in schola peripatetica. Eiusmodi porro effatum in eo consistit quod nimirum relativa sunt semper simul cum cognitione, seu quoad mentem concipientem, tum re. Loquitur enim de *unione* et de *unitis* quatenus pertinent ad ea quae ad aliquid dicuntur, et ideo addit : « τὰ δὲ πρὸς τι, καὶ ἀεὶ ἅμα » (2). Nota autem locutionem « τὰ πρὸς τι » esse ad apicem verba ipsius Stagyritae.

2° *De natura.* In prima *antithesi* Acephali bene distinguit naturam specificam a natura individuali, quae distinctio frequentius occurit in metaphysica aristotelica. Nam quaerit *Acephalus* num Verbum, assumendo naturam humanam, eam assumpserit specificam aut individuam : « Φύσιν ὁ Λόγος ἀναλαβὼν ἀνθρωπίνην, τὴν ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένην, ἢ τὴν ἐν ἀτόμῳ ἀνέλαβεν » (3). —

(1) « *Epilysis* », 1920 A B.
(2) « *XXX Cap.* », cap. 9.
(3) « *Epilysis* », 1916 D-1917 A.

Natura *in atomo* pro *individuali*, terminus est ARISTOTELIS.

Idem porro *Acephalus* accuratius exponit quid sit natura specifica, et quid natura individua. Per priorem intelligit illam quae est in multitudine; per posteriorem illam, quae inest uni numero : « ἡ μὲν ἐν πλήθει θεωρεῖται, ἡ δὲ ἐν ἑνὶ τῷ ἀριθμῷ » (1).

Melius adhuc explicat Orthodoxus eamdem rem : ait enim esse in multitudine aut in uno non ostendere an una natura sit alia necne. Nam dicere unam esse in pluribus et alteram in uno hoc tantum sibi vult ut faciat quidem cerni illa in quibus est plura aut unum; minime autem cerni facit naturam unum aut plura. Revera natura, quae est *una* non fit *multae* eo ipso quod a multis participatur; neque vicissim si *multae* sunt non ideo fiunt *una* quod ab uno participantur... « οὔτε πολλὰς ποιεῖ φύσεις τὴν μίαν, τὸ πολλοὺς ταύτης μετέχειν· οὔτε μίαν τὰς πολλὰς, κἂν εἷς τούτων μετέχοι » (2).

Iam absque vel minima difficultate fas est in allatis textibus dignoscere *substantiam primam* et *substantiam secundam* (πρώτην οὐσίαν καὶ δευτέραν οὐσίαν) ARISTOTELIS.

3° *De unionibus.* Quanti sit momenti apud ARISTOTELEM doctrina de unione deque eius variis speciebus, nemo plane ita est philosophiae ieiunus ut nesciat. Atque lepide LEONTIUS disserit de natura variisque unionis speciebus contra Monophysitas. Haud obscure denuntiat quot modis fieri potest unio inter duo aut plurima elementa; ita est clara eius de hoc argumento expositio ut sane diceres nihil Doctores Scholasticos ei

(1) « *Epilysis* », 1917 A.
(2) Ibid., 1917 B.

addidisse; et revera unio vel est tantum quoad habitudinem, vel substantialis, vel per mixtionem, congeriem, coagmentationem, confusionem et sic porro : « ἡ μὲν γὰρ σύνθεσις τε καὶ ἕνωσις, ἢ σχετική ἐστιν ἢ ουσιώδης, καὶ ἢ κατὰ παράθεσιν, ἢ μίξιν, ἢ σωρείαν, ἢ ἁρμονίαν, ἢ κόλλησιν, ἢ σύγχυσιν, ἢ φύρσιν, ἢ οὐκ οἶδ' ἅστινας ἑτέρας γίνεσθαι λέγεται » (1).

Cum theoria de unionibus arctissime connectitur in metaphysica peripatetica doctrina de privatione. LEONTIUS autem ita definit privationem ut nemo melius. Nam adserit, instar S. THOMAE discipuli, per privationem intelligi carentiam, non quomodocumque, sed cuiusdam proprietatis naturaliter debitae : « οὐ γὰρ εἰ τίς τι μὴ ἔχοι, τούτου πάντως καὶ τὴν στέρησιν πέπονθεν, ἀλλὰ τὸ πεφυκὸς εἰ τύχοι ἵπτασθαι, καὶ ἐν τῷδε τῷ χρόνῳ· οὐ γὰρ πρὸ τῆς τῶν πτερῶν περιβολῆς καὶ ὡς πέφυκεν· οὐ γὰρ χώρις ὧν οὐκ ἄνευ καὶ ἐν τῷδε τῷ τόπῳ· ἐν ἀέρι γὰρ καὶ οὐχ ὕδασιν ἵπτασθαι πέφυκεν » (2).

Quaedam solummodo principia metaphysica exposuimus, quae in operibus reperiuntur LEONTII. Pro ampliore huiusce rei explanatione haud parum conferent, quae postea de LEONTII christologia disputabimus. Interea autem principia supra allata ad mentem esse ARISTOTELIS plane patebit omnibus illis qui metaphysicae Stagyritae sunt assueti (3).

(1) « *Epilysis* », 1925 C.
(2) Ibid., 1937 B.
(3) Pro interpretatione, cf. Michelet, *Examen critique de l'ouvrage d'Aristote intitulé Métaphysique*, 1836; — E. Vacherot, *Théorie des premiers principes selon Aristote*, 1836; — Ravaisson, *Essai sur la métaphysique d'Aristote*, 137-46; — Teichmüller, *Studien zur Geschichte der Begriffe*, et *Aristotelische Forschungen*, III; — Boutroux, op. et loc. cit., n° VIII.

III. — Psychologia.

Pro ratione scientiae de anima, in promptu sane est copiosam in scriptis Leontii colligere messem textuum, qui germanam fragrant Aristotelis doctrinam. Ut quaedam tantum referamus loca pro compendii munere, quod suscepimus, sit potissimum :

1° *Facultates.* Fuse praesertim necnon lepide versat auctor noster doctrinam animae facultates respicientem. Iam per totam eiusmodi explanationem continuo affulget, ac veluti sculpitur Stagyritae mens.

Apprime enim ad verbum usque refert Leontius famosam atque notissimam corporis definitionem ab Aristotele ipso traditam. Norunt omnes Stagyritam animam descripsisse « Entelecheiam primam corporis physici, organici, vitam in potentia habentis : Ἐντελέχεια πρώτη σώματος φύσικοῦ, ὀργανίκου δυνάμει ζωὴν ἔχοντός ». Haec porro definitio memoratur a Leontio cum implicita indicatione : « οὗ (scilic. σώματος) ἀποδιδόντες τὸν ὅρον φασὶ (Quinam hanc tradentes definitionem, dicunt, nisi ipsi peripatetici ?)... εἶναι... σῶμα φυσικὸν, ὀργανικὸν δυνάμει ζωὴν ἔχον » (1).

Docet praeterea animam speciali genere facultatum passivarum praeditam esse per quas eapropter patitur : « Πάσχει μὲν ἁπλῶς ἡ ψυχὴ, παθητικὰς πρὸς τὸ αὐτῇ συμφέρον συναρμοσθείσας δυνάμεις λαβοῦσα » (2). Neminem autem fugit partitionem potentiarum animae in activas et passivas caput esse Aristotelis psychologiae.

Iterum membra quaedam attingit divisionis facul-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1281 C.
(2) Ibid., 1284 D.

tatum animae ab ARISTOTELE propositae. Equidem disertam facit mentionem facultatum appetitivae et intellectivae. Ait enim animam nostram per appetitum amore erga Deum protendi, et per facultatem rationalem, ea quae sunt insensibilia, contemplari : « τοῦ μὲν ἐπιθυμητικοῦ ἐρωτικῶς πρὸς τὸν Θεόν ἀνατεταμένου... τοῦ δὲ λογιστικοῦ τὰς ἀΰλους ἐμφάσεις ἀσκίως δεχομένου » (I).

Proprius et minutius doctrinam de facultatibus animae rimatur, adeo ut fere omnia ARISTOTELIS usurpet vocabula. Praeprimis testatur partes hominis esse animam et corpus : « Μέρη ἀνθρώπου ψυχὴ καὶ σῶμα » (2). — Deinde per partes describit animae potentias. Ex diversis animae potentiis recenset tres praecipuas Stagyritae, quippe, vim *hegemonicam*, *appetitum irascibilem* et *appetitum concupiscibilem* : « ὧν (scilic. μερῶν ψυχῆς) τὸ μὲν ἡγεμονικὸν, τὸ δὲ θυμικὸν, τὸ δὲ ἐπιθυμητικόν » (3). Descendit postea ad subdivisiones. Prima, nempe *hegemonicum*, partitur in facultates *cogitativam*, *memorativam*, *consultativam* et *opinativam* : « τούτων τὸ μὲν ἐννοηματικὸν, καὶ διανοήματικὸν, μνημονευτικὸν τε καὶ βουλευτικὸν καὶ δοξαστικὸν » (4). Adhuc enuntiat *appetitivum* et *electivum* : « τὸ δὲ ὀρεκτικόν τε καὶ ἐκκλητικὸν » (5), necnon et facultates *propulsandi* et *efficiendi* : « τὸ δὲ ἀμυντικόν τε καὶ δραστικὸν » (6). Quibusdam interiectis : addit medicos multa alia philosophari de naturalibus facultatibus ex quibus aliam nuncupant *attractivam*, aliam *retentivam*, aliam *im-*

(1) « *Adv., Nest. et Eutych.* », 1285 A.
(2) Ibid., 1296 C.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) Ibid.
(6) Ibid., 1296 D.

mutativam, aliam *discretivam* : « Πολλὰ δὲ καὶ ἕτερα φιλοσοφοῦσιν ἰατρῶν παῖδες περί δυνάμεων φυσικῶν ὧν τὴν μὲν ἑλκτικὴν, τὴν δὲ καθεκτικὴν, τὴν δὲ ἀλλοιωτικὴν, τὴν δὲ ἀποκριτικὴν ὀνομάζουσι » (1). Rursus alia tradunt de *sensu* et de *phantasia*, et de *vitali* ac *organico spiritu* animal continente : « Πολλὰ δὲ καὶ περὶ αἰσθήσεως καὶ φαντασίας, καὶ τοῦ συνέχοντος τὸ ζῶον ζωτικοῦ καὶ ὀργανικοῦ πνεύματος » (2).

Iam descriptio haec, paululum prolixa, perspicue demonstrat LEONTIUM, si haud immediate scripta evolverit ipsius Stagyritae, procul dubio, eius commentatoribus studuisse.

2° *Anima*. Quoad animam attinet, docet noster auctor eam esse in corpore inclusam et a corpore circumscriptam : « περιγράφεσθαι δὲ λέγεται δευτέρως, τὴν ἐν περιγραπτῷ σώματι ἔχουσα διαγωγήν » (3). Istiusmodi autem textum innuere formulam peripateticam facile conspicitur.

3° *Corpus*. Omnibus compertum est docuisse ARISTOTELEM corpus humanum coalescere partibus homogaeneis simul ac heterogaeneis. Eadem vero partitio elementorum corpus humanum constituentium explicite proponitur a LEONTIO. Audiamus : « ἡ τοῦ σώματος διαίρεσις γίνεται εἰς ὁμοιομερῆ τε καὶ ἀνομοιομερῆ ». — Deinde ad membra subdividentia descendens, quaedam tradit, quae aptissime physiologiae ARISTOTELIS consonant : « Καὶ τούτων, inquit, ἔτι εἰς κεφαλὴν, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας. καὶ ταύτα εἰς ὀστᾶ, καὶ σάρκας, καὶ νεῦρα » (4).

Haec sunt, ne pluriora quo par est percurramus,

(1) « *XXX Cap.* », cap. 15.
(2) Ibid , D. — 1297 A.
(3) Ibid., 1285 A.
(4) Ibid., 1296 D.

potiora lineamenta psychologiae peripateticae, quae scripta LEONTII exornant. Cum clara sit promanatio eiusmodi capitum a fonte peripatetico, inutile existimamus ulterius huic instare argumento (1).

IV. — PHYSICA SEU COSMOLOGIA.

Quamquam opera LEONTII fere nullam habent cum rebus physicis connexionem, et, hac de causa, haud sperandum est fore ut abundantiora comperiantur documenta, quae doctrinam referant ARISTOTELIS, nihilo tamen minus, neque in hocce argumento idonea desunt vestigia, quae LEONTIUM Stagyritae discipulum patefaciunt. In cuius gratiam, quaedam duntaxat adtingamus.

1° *Elementa*. Celebrem primum obiicit doctrinam de quatuor elementis, quibus coalescunt universae res naturales, quaeque, prout omnium est in confessu, fundamenta sunt physices peripateticae, etsi, cultui veritatis prospicientes, profiteri cogamur 'doctrinam de quatuor elementis plurimis aliis graecis philosophis fuisse communem, necnon Stagyrita antiquiorem. Attamen nonnisi ardua cum difficultate supponi quit nostrum auctorem eam ab aliis philosophis praeter ARISTOTELEM accepisse.

His praenotatis, accedamus nunc ad documentorum

(1) Pro collatione, cf. Ipsum Aristotelem, περὶ ψυχῆς (*De anima*); — Chauvet, *Des Théories de l'entendement humain dans l'antiquité*, 1856; — Gratacap, *Aristotelis de sensibus doctrina*, Montpellier, 1866; — F. Brentano, *Die psychologie des Aristoteles insbesondere seine Lehre vom* νοῦς ποιητικός, Mainz, 1867; — Kampe, *Die Erkenntnisstheorie des Aristoteles*, Leipzig, 1870; — Chaignet, *Essai sur la psychologie d'Aristote*, 1883; — Boutroux, op. cit., n° XVII et XIX.

illustrationem. Postquam, uti supra exhibuimus, dixerit quomodo dividantur corporis partes, ultimo concludit : « καὶ ταῦτα (variae partes, μερῆ, de quibus mox loquutus fuerat) εἰς τὰ τέσσαρα στοιχεῖα » (1).

Eamdem doctrinam accuratioribus verbis adornat. Nam asserit naturam cuiuslibet hypostaseos reddi per communem definitionem : « ἡ γὰρ φύσις ἑκάστης ὑποστάσεως κατὰ τὸν κοινὸν ἀποδίδοσθαι ὅρον λάμβανεται ». Deinde affert exempla, et, inter caetera, primum mentionem facit quatuor elementorum : « οἷον ὅτι πύρον, ἢ ἀέριον, ἢ χερσαῖον, ἢ ἔνυδρον, ἢ λογικὸν, ἢ ἄλογον, ἢ ζῶον, ἢ ἄζωον, ἢ αἰσθητὸν, ἢ νοητόν » (2).

Quinimo ipsasmet materiam et formam quae, nemine renitente, tantas obtinent partes in systemate peripatetico expresse indicat veluti ultima elementa. Praevie stabilito partes corporis humani in quatuor resolvi elementa, his concludit : « καὶ ταῦτα (nempe στοιχεῖα) εἰς ὕλην καὶ εἶδος » (3).

Doctrinae de materia et forma sponte adnectitur theoria compositionum substantialium. Iam Leontius eiuscemodi theoriam noscit adamussim atque perpendit. Duo tantum contenti erimus citare testimonia. Declarat primo eorum, quae uniuntur, quaedam servare propriam essentiae rationem (*unio accidentalis*), quaedam autem amittere (*unio substantialis*) : « τῶν... κατ' οὐσίαν ἑνωμένων τὰ μὲν κἂν τῇ ἑνώσει σώζει τὸν ἴδιον τῆς ὑπάρξεως λόγον, τὰ δὲ συγχεῖται καὶ ἐξαφανίζει τὴν ἀκρότητα τῶν ἑνωμένων λυμαινόμενα » (4).

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1296 D.
(2) « *Epilysis* », 1928 C.
(3) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1296 D.
(4) Ibid., 1304 B.

Fusiorem descriptionem eiusdem theoriae tradit. Ea, inquit, quae vim habent se invicem mutandi, nihil purum servant in compositione post unitionem : « οὐδὲν τῶν ἐν τῇ συνθέσει ἀποσώζει ἀκραιφνὲς μετὰ τὴν σύνθεσιν », e contra autem omnia miscent et omnia confundunt, aliamque proinde praebent speciem : « ἑτεροῖον εἶδος πάμμικτον ἀπετέλεσε ». Inde fit ex multis naturis talis commixtio, quae nihil servat commune naturae : verum aliud ex eis fit quod cum nullo eorum, ex quibus factum est, idem exsistit : « ἕτερον ἐκ ταύτων μὲν γενόμενον, οὐδενὶ δὲ ταυτὸν ἀφ' ὧν γεγονε ἀποτελέσασα (scil. σύγχυσις) » (1).

Huc pariter authentica reperimus Aristotelicae doctrinae capita (2).

V. — Mathesis.

Ultimo, etsi haec scientia sit abs re, quaedam tamen occurrunt in operibus Leontii indicia quae manifestam habent analogiam cum mathematica Aristotelis doctrina. Ad huius asserti demonstrationem duo tantum referemus loca, quae respiciunt naturam ac multiplicem acceptionem quantitatis.

Primum distinguit scriptor Byzantinus quantitatem continuam et discretam. Dicit namque : qui haec pertractant, ipsam naturam numeri ad quantum referentes, aiunt quantum aliud esse continuum, aliud discretum : « τοῦ ποσοῦ φασὶ (quinam ?), τὸ μὲν εἶναι συνεχὲς, τὸ δὲ διῃρημένον ». Rem deinde collustrat exemplo. Pro quanto

(1) « *Adversus Nest. et Eutych.* », 1305 B.

(2) Cf. Aristotelem, *Physica*. — Ch. Levêque, *La Physique d'Aristote et la Science contemporaine*, 1863; — G. H. Lewes, *Aristotle, a chapter from the history of science*, 1864; — Boutroux, op. cit,. n° XI.

continuo affert *decem cubitos*, puta ligni : « δεκὰ γὰρ πή-χεις λέγομεν τοῦ συνεχοῦς εἰ τύχοι ξύλου ». Pro quanto autem discreto proponit *decem modios* : « πάλιν δεκὰ μοδίους λέγοντες, ἐν διαιρέσει τούτους ἐπιστάμεθα » (1).

In altero loco enucleat multiplicem respectum, sub quo *quantum* potest accipi. Declarat enim non tantum dici de *numero definito*, « τὸ ποσὸν... περιίσταται οὐ μόνον ἐξ ὡρισμένου », ut « τοῦ δύο, ἢ τρια, ἢ τέσσαρα », sed etiam de indefinito, « ἐξ ἀοριστου, uti e. g. *multa*, *plura*, « οἷον τοῦ πολλὰ καὶ πλείονα », et per analogiam, ut, *maius*, *minus*, *aequale*, « οἷον μεῖζον, ἧττον, ἴσον πρὸς τι » κ. τ. λ. (2).

Conclusio. — Iam quae disputavimus in secundo capite sufficiunt, ni fallor, ad ostendendum, singillatim pro re, quam prae manibus habemus, Leontium revera philosophia Arisotelis, quacumque ratione, imbutum fuisse. Clarius vero meridiana luce, atque ampliore specie eadem conclusio eruetur ex illis quae, in subsequentibus capitibus, prosequuturi sumus. Ibi enim consideranti constabit a philosophia peripatetica Leontium mutuatum esse omnes notiones quibus suam componit christologiam.

(1) « *Epilysis* », 1920 C.
(2) « *XXX Cap.* », cap. 29.

CAPUT TERTIUM.

De conceptibus christologicis apud Leontium Byzantinum.

I. — De natura (φύσις).

Puram reperimus doctrinam peripateticam quae, Damasceno medio, a scholasticis suum accepit complementum ultimum.

Conspicue imprimis proponit Leontius etymologicam *naturae* definitionem. Norunt quippe omnes φύσιν quoad etymon manare a verbo φυεῖν, quemadmodum in idiomate latino *natura* venit a *nasci*. Hancce derivationem docet Leontius : « εἰ γὰρ φύσις λέγεται παρὰ τὸ πεφυκέναι τι » κ. τ. λ. (1).

Ex nomine ad rem transiens, quampluries Leontius descriptionem *naturae* suppeditat. Semper autem et ubique per *naturam* intelligit quid commune et a pluribus participabile individuis. Referens Filium ad Patrem in Divinis, animadvertit duas inter eos intercedere habitudines, unam nempe, qua Filius habet cum Patre identitatem : « μιᾶς μὲν καθ' ἣν τὴν ταυτότητα ἔχει ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα », alteram vero, qua a Patre distinguitur : « ἑτέρας δὲ καθ' ἣν ὁ Υἱὸς ἀπ' αὐτοῦ διακέκριται ». Prior autem nomine *naturae* designatur, posterior nomine *hypostaseos* : « τῆς μὲν τῇ τῆς φύσεως προσηγορίᾳ δηλουμένης, τῆς δὲ τῇ τῆς ὑποστάσεως κλήσει γνωριζομένης » (2).

(1) « *Epilysis* », 1944 A.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1288 A B.

Pressius praeterea urget eumdem conceptum. Φύσις, inquit, est id in quo omnia individua alicuius speciei conveniunt, quodque ambit eapropter totam speciem, quandoquidem nihil eorum, quae in quadam continentur specie, diversae est ab aliis substantiae (scilic. in eadem specie comprehensis) : « τῆς γὰρ φύσεως τῆς μιᾶς τὸ ὅλον τοῦ ἀνθρωπείου εἴδους παριστώσης, ἐπειδὴ τῶν ὑπὸ τὸ αὐτὸ εἶδος ἀριθμουμένων οὐδέν ἐστι ἑτεροούσιον » (1).

Iam supra Leontium audivimus affirmantem naturam quamlibet exprimi per communem definitionem (κοινὸν ὅρον).

Quapropter nullatenus dubium superesse potest Leontium per *naturam* (φύσιν) intelligere elementum commune et universale in sensu traditionis peripatetico-scholasticae.

II. — De essentia (οὐσία).

Cognatissimus est *essentiae* conceptus cum conceptu *naturae*. Quamobrem eaedem aut simillimae occurrunt notiones quae binos explanant conceptus. Iam apprime declarat Leontius *essentiam* idem esse ac *naturam :* « φύσις ταυτόν ἐστι τῇ οὐσίᾳ » (2). Initio Lib. I. « Adv. Nest. et Eutych. » explicite fatetur *hypostasim*, et *personam* ex una parte, ex altera autem *essentiam* et *naturam* idem esse : « ταυτὸν γὰρ ἄμφω » (3).

Docet deinde *essentiam*, *naturae* instar, esse quid commune. Nam statuit ea, quae eamdem habent essentiam et exstantiam, eamdem quoque accipere de-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1292 A.
(2) Ibid., 1309 B.
(3) Ibid., 1273 A.

finitionem : « εἰ γὰρ οὐσίαν ἁπλῶς ὁριζόμενοι, εἴπομεν τήν τινος ὕπαρξιν, δηλοῦν πᾶν τὸ κοινωνοῦν τῆς οὐσίας τοῦ ὀνόματος, καὶ τοῦ ὅρου κοινωνήσει » (1).

Nonnunquam vero LEONTIUS videtur accipere οὐσίαν in sensu *substantiae*. Ita probabilius est eam intelligere, quando adserit οὐσίαν existere Deum et Angelum et hominem et animal et arborem : « ὑπάρχειν γὰρ φαμὲν οὐσίαν καὶ Θεὸν καὶ ἄγγελον, καὶ ἄνθρωπον, καὶ ζῶον, καὶ φυτόν » (2). Absque dubio in hoc textu οὐσία sumitur quatenus opponitur *accidenti*, ac proin quatenus significat *substantiam*.

In philosophia peripatetica cum conceptu οὐσίας maxime connexus est alter conceptus *speciei* (εἴδους), seu *formae*. Etenim οὐσία et εἶδος pro Stagyrita haudquaquam duas res distinctas, verum unam et eamdem diverso sub respectu consideratam designant. Οὐσία dicitur quatenus rem in seipsa constituit; εἶδος autem quatenus ipsam in certa specie rerum reponit.

In scriptis LEONTII unum potissimum reperimus magni pretii textum in quo auctor agit de rebus pertinentibus ad eamdem speciem, atque de earum relationibus ad res speciei diversae. At ibi revocat omnino principia Aristotelica. Nam, stabilita distinctione individuum inter et speciem, docet quae sunt diversae speciei, diversam prae se ferre habitudinum communicationem ad res eiusdem speciei : « Τῶν δὲ ἑτεροειδῶν πρὸς τὰ ὁμοειδῆ ἐπαλλάττουσάν ἐστιν εὑρεῖν τὴν κοινωνίαν τῶν σχέσεων ». Iam eiusmodi habitudo est in ratione inversa; nam, res eiusdem speciei, per quae communicant cum rebus alterius speciei, per eadem et distinguun-

(1) « *Epilysis* », 1921 C.
(2) Ibid.

tur inter se : « οἷς γὰρ ἂν κοινωνοῦσι τοῖς ἑτεροειδέσι τὰ ὁμοειδῆ, τούτοις διαιροῦνται πρὸς ἑαυτά ». Et e contra, quibus distinguuntur a rebus diversae speciei, his conveniunt inter se : « καὶ οἷς διαιροῦνται πρὸς τὰ ἑτεροειδῆ, τούτοις συνάπτεται πρὸς ἑαυτά ». Addit deinceps explicationem. Numero enim inter se differunt, atque definitione, quippe quae aperit speciem, inter se conveniunt, et seiunguntur a rebus diversae speciei : « τῷ μὲν γὰρ ἀριθμῷ πρὸς ἑαυτά διακρινόμενα, τῷ δὲ ὅρῳ πρὸς ἑαυτὰ συναπτόμενα, τῶν ἑτεροειδῶν διακέκριται » (1).

III. — De hypostasi (ὑπόστασις).

Notio, quae maximum obtinuit momentum in christiana dogmatica est sine dubio *hypostasis*. Summopere hac de causa Leontius eiusmodi notionem rimatus est, quemadmodum et caeteri Patres Graeci idem praestarunt. Videamus igitur quid sentiat de *hypostasi* auctor noster; nova nobis suppeditabitur occasio contestandi adaequatam eius doctrinae similitudinem cum doctrina Aristotelis ac medii Aevi scholasticorum.

Quid est porro hypostasis pro scriptore Byzantino? Plurimae nobis obviam eunt descriptiones, quae aliunde intimam habent secum connexionem. Per *hypostasim* apprime intelligit quid *divisum* (videlicet ab aliis rebus) et per se *subsistens*. Undenam et a quo, alloquitur *Orthodoxus Acephalum*, accepisti ut Christum ex hypostasibus componeres cum hypostases, quod divisum est et per se existit, indicent? « ... τῶν ὑποστάσεων τὸ διῃρημένον, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸ ὑφεστὼς δηλουσῶν » (2).

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1285 D-1288 A.
(2) « *Epilysis* », 1933 A.

Eamdem alibi prosequitur definitionem. Proprium est, inquit, hypostaseos indicare primario id quod per se existit, et secundario id quod perfectum est : « ἡ ὑπόστασις, οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ προηγουμένως τὸ τέλειον δηλοῖ, ἀλλὰ τὸ καθ' εαὐτὸ ὑπάρχον, δευτέρως δὲ τὸ τέλειον » (1).

Interdum *hypostasi* eumdem adnectit significatum ac *individuationi*. Fatetur enim, hoc sub adspectu, hypostasim constituere *hunc* aut *hunc* (*haecceitas* Scholasticorum) : « τὸ δ'εἶναι τόνδε ἢ τόνδε, ἐν τῷ ἰδίῳ καὶ ἀφωρισμένῳ τῆς ὑποστάσεως ὅρῳ σημαίνεται » (2).

Eamdem significationem fusius enucleat. Statuit quidem hypostasim indicare varias proprietates, quae simul sumptae nequeunt ulli alii competere individuo, et tamen huic sunt propriae. Huc enim deprehendimus *notas individuantes* Scholasticorum, quae fuere, nemo diffitetur, primum ab Aristotele determinatae : « τὴν δὲ ὑπόστασιν, σχῆμα, χρῶμα, μέγεθος, χρόνος, τόπος, οἱ γονεῖς, ἡ ἀνατροφὴ, ἡ ἀγωγὴ, καὶ ὅσα τούτοις ἕπεται· ὧν τὸ ἄθροισμα, φάσιν (quinam)? ἐπ'οὐδενὸς ἑτέρου ἀληθεύειν δύναται· καὶ ὅμως ἑνὸς ταῦτα ἀνθρώπου, τοῦ τινὸς δήλονοτι » (3).

Nonnunquam videtur confundere *hypostasim* cum ἀτόμῳ, seu, aliis verbis, cum *supposito* ipso, quatenus indicat quid propria fruens existentia. Ita docet in unione alia servare propriam rationem; in corporibus simplicibus et physicis, eiusmodi habitudo est eorum, quae propriam habent hypostasim propriamque subsistentiam : « τῶν αὐθυποστάτων καὶ καθ'ἑαυτά εἶναι δυναμένων » : — Quaenam sunt haec? — In lampade e. g. aliud est lucerna, aliud flamma ignis : « ἄλλο μὲν γὰρ

(1) « *Epilysis* », 1945 A.
(2) Ibid., 1928 B.
(3) Ibid., 1945 B C.

τί ἐστιν ἡ θρυαλλίς, ἕτερον δὲ πάλιν ἡ φλογώδης τοῦ πυρὸς οὐσία » (1).

Aliam praebet descriptionem desumpta nimirum ex discrimine inter ὑπόστασιν et ἐνυπόστατον (ἐν *in* ὑπόστασις *existens in alio*). Ex eiusmodi comparatione duo colligimus : 1° Hypostasis designat *aliquem;* e contra enypostaton non designat nisi *essentiam :* « ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασις τὸν τινὰ δηλοῖ, τὸ δὲ ἐνυπόστατον τὴν οὐσίαν ». — 2° Hypostasis indicat collectionem proprietatum personam describentium; enypostaton e contra accidens quod in alio, non autem in se, existit : « καὶ ἡ μὲν ὑπόστασις πρόσωπον ἀφορίζει τοῖς χαρακτηριστικοῖς ἰδιώμασι· τὸ δὲ ἐνυπόστατον τὸ (in textu additur particula μή, quae debet absque dubio expungi) εἶναι αὐτὸ συμβεβηκὸς δηλοῖ ὃ ἐν ἑτέρῳ ἔχει τὸ εἶναι, καὶ οὐκ ἐν ἑαυτῷ θεωρεῖται » (2).

Demum positiva potius atque analytica ratione determinat quid requiratur ad constituendam hypostasim, ac ad tres veluti characteres reducit ea quae sunt propria hypostaseos, nimirum : 1° Debet esse quid substantiale; 2° debet esse separatum a subsistente in se, seu non subsistere in alio; 3° haud debet in compositionem alterius venire. Quaerit *Acephalus :* Christus non est alius ab alio? — Respondet *Orthodoxus* : « οὐ πάντως, ἕως ἂν μήτε ὁμοούσιος, μήτε κεχωρισμένος ᾖ τοῦ συνυφεστῶτος καὶ συγκειμένου· ταῦτα γὰρ ποιεῖ τὰς ὑποστάσεις » (3). — Hinc patet, iuxta Leontium, Christum non posse dici *alium* et *alium*, quod supponeret duplicem hypostasim, seu in Christo naturam humanam haud fuisse hypostasim, quoniam non pollebat omnibus

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1304 B.
(2) Ibid., 1277 D.
(3) « *Epilysis* », 1917 C.

conditionibus ad hoc requisitis, scilicet : esse *substantiale* (ὁμοούσιον), — *separatum* a per se subsistente (κεχωρισμένον τοῦ συνυφεστῶτος), — et iterum *seiunctum* a composito (καὶ συγκειμένου).

IV. — De natura et hypostasi ad invicem conlatis.

Ad mentem Leontii in superioribus Num^{is} definitionem explanavimus cum hypostaseos tum naturae singillatim spectatarum. Verum auctor interea in suis operibus pluries comparat naturam et hypostasim, ex qua proinde conlatione novae exoriuntur elucidationes, quae sane utriusque notionem perfectius circumscribunt atque collustrant. Operae igitur pretium est ut, et hac sub facie, quaestionem expendamus eo ut politiorem nobis comparemus conceptum naturae ac hypostaseos. Quae autem hac de re proponit Leontius, ad haec revocantur quae, ut consideranti patebit, mentem olent Aristotelis :

1° Hypostasis et natura seu essentia se habent in entibus veluti proprium et commune, nempe natura est id quod identice competit pluribus eiusdem speciei individuis, dum e contra hypostasis est quid particulare omnibus et singulis individuis : « Εἰ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον καὶ τοὺς ἁγίους Πατέρας ταύτην ἔχει τὴν διαφορὰν ἡ οὐσία πρὸς τὴν ὑπόστασιν, ἣν ἔχει τὸ κοινὸν πρὸς τὸ ἴδιον » κ. τ. λ. (1).

Eamdem inculcat discrepantiam ex nominum vi. Nam nominibus communibus designatur natura, propriis vero hypostasis : « Κοινῶς παρὰ πάντων ὡμολόγηται τὸ ἄν-

(1) « *XXX Cap.* », cap. 24.

θρωπος ὄνομα τὴν φύσιν δηλοῦν, τὸ δὲ Παῦλος ἢ Πέτρος τὴν ὑπόστασιν » (1).

Quae veritas ita erat tempore LEONTII recepta, ut et ipse *Acephalus* ultro profiteatur ab omnibus Patribus fuisse retentam : « Ἐπὶ μὲν τῆς θεολογίας πάντες συμφώνως οἱ Πατέρες, σαφῶς ὑπόστασιν οὐσίας διαφέρειν, ἤγουν πρόσωπον φύσεως, τῷ αὐτῷ λόγῳ ἀπεφήναντο ᾧτὸ ἴδιον τοῦ κοινοῦ διενήνοχεν » (2).

Hoc idem punctum rursus declaratur simul ac obfirmatur exemplis quae ostendunt hoc sibi vindicare hypostasim ut proprium quid exhibeat, ipsum scilicet a communi secernendo : « ὡς γαρ Παῦλος τε καὶ Πέτρος οὐ φύσεως ὀνόματα ἀλλὰ ὑποστάσεως, οὕτως ἥλιος καὶ σελήνη, καὶ ἑωσφορος, καὶ οὐρανὸς, καὶ τόδε τι τὸ πτηνὸν τὸ τε χερσαῖον, καὶ τὸ ἔνυδρον, ὡς ἰδιοποίον ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς οὐσίας, τῇ τῆς ὑποστάσεως ἰδιότητι διαιρεῖται καὶ ἀφορίζεται » (3).

2° Proponit naturam ceu principium per quod entia discriminantur inter se, et hypostasim ut principium per quod inter se dividuntur (habes hic principium individuationis scholasticorum). In his, inquit, quae simul et natura et hypostasi differunt, ut hic *equus* et hic *bos*, natura indicat diversitatem (scil. speciei), hypostasis vero divisionem (scil. numericam) : « ἐπὶ τῶν ὑποστάσει καὶ οὐσία κεχωρισμένων, οἷον τοῦδε τοῦ ἵππου, καὶ τοῦδε τοῦ βοὸς, καὶ τοῦδε τοῦ ἀνθρώπου, ἡ φύσις, οὐ τὸ διηρημένον ἀλλὰ τὸ διάφορον· ὥσπερ καὶ ἡ ὑπόστασις τὸ διηρημένον, ἀλλ' οὐ τὸ τι τοῦ ὑποκειμένου κυρίως εμφαίνει » (4).

3° Ea quae signant naturam elementa sunt quae ad

(1) « *XXX Cap.* », cap. 27.
(2) « *Epilysis* », 1924 C.
(3) Ibid., 1928 C D.
(4) Ibid., 1921 A.

ordinem pertinent substantialem; e contra quae hypostasim notant eiusmodi sunt ut ad ordinem accidentium pertineant : « τὰ τὴν φύσιν χαρακτηρίζοντα, συστατικὰ τῆς οὐσίας εἰσί· τὰ δὲ τὴν ὑπόστασιν οἷον συμβεβηκότων λόγον ἐπέχει » (1).

4° In specie delineat varias utriusque proprietates methodo omnino rigorosa, in qua descriptione affulgent omnia Scholasticorum capita. Itaque videamus :

a) Hypostasis est semper natura, ast natura non est semper hypostasis : « ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασις καὶ φύσις, ἡ δὲ φύσις οὐκ ἔτι καὶ ὑπόστασις ».

b) Natura habet tantummodo rationem essendi : hypostasis vero rationem *per se* essendi : « ἡ μὲν γὰρ φύσις τὸν τοῦ εἶναι λόγον ἐπιδέχεται, ἡ δὲ ὑπόστασις καὶ τὸν τοῦ καθ' ἑαυτὸν εἶναι ».

c) Natura amplectitur rationem speciei; hypostasis declarat *aliquem unum* : « καὶ ἡ μὲν εἴδους λόγον ἐπέχει, ἡ δὲ τοῦ τινὸς ἐστιν δηλωτικόν ».

d) Natura dicit dotem universalem, hypostasis autem secernit proprium a communi : « Καὶ ἡ μὲν καθολικοῦ πράγματος χαρακτῆρα δηλοῖ, ἡ δὲ τοῦ κοινοῦ τὸ ἴδιον ἀποδιαστέλλεται ».

e) Et breviter dicendo : eamdem naturam participant consubstantialia : « φύσεως μὲν μιᾶς κυρίως λέγεται τὰ ὁμοούσια. » — Hypostasis vero indicat vel illa quae eamdem participant naturam et differunt numero : « ἢ τὰ τὴν φύσιν μὲν ταὐτὰ, ἀριθμῷ δὲ διαφέροντα », — vel ea, quae diversis coalescunt naturis, communionem tamen essendi inter se habent : « ἢ τὰ ἐκ διαφόρων φύσεων συνεστῶτα, τὴν δὲ τοῦ εἶναι κοινωνιάν... κεκτημένα » (2).

(1) « *Epilysis* », 1945 B.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1280 A.

V. — De persona (πρόσωπον).

Pauca admodum reperimus in scriptis Leontii genuinis, quibus maxime in hacce disputatione uti duntaxat volumus, documenta conceptum *personae* respicientia. Huiusce neglectus causa ex eo forsitan est repetenda quod nempe apud Graecos scriptores conceptus *personae* semper rarioris fuerit usus quam conceptus *hypostaseos*. Quidquid sit de istiusmodi existimatione, pro re praesenti, omnes textus in quibus Leontius de *persona* agit, eam identificant cum *hypostasi*. Hoc enim explicite adserit : « ὑπόστασις δὲ [ταυτόν ἐστι] τῷ προσώπῳ » (1). — Praeterea, verbis iam supra citatis audivimus *Acephalum* profitentem ad mentem SS. Patrum hypostasim differre ab essentia, aut personam a natura : « ὑπόστασιν οὐσίας διαφέρειν ἤγουν πρόσωπον φύσεως » (2).

Exceptioni *Acephali* respondet *Orthodoxus*, atque idem adprobat. Fatetur quidem Patres nonnunquam naturam *hypostasim* aut *personam* appellasse : « ἑκάστην φύσιν ὑπόστασιν ἢ πρόσωπον καλεῖν τοῖς Πατράσιν... σύνηθες. Negat tamen Patres docuisse naturae convenire definitionem *hypostaseos*, id est, *personae* : « οὐ μὴν κοινωνεῖν τὴν φύσιν τοῦ ὅρου τῆς ὑποστάσεως, ἤτουν προσώπου λέγειν αὐτοὺς οἰόμεθα » (3).

Alias omnes conceptus *personae*, *hypostaseos*, *individui* et *suppositi* promiscue usurpat. Statuit enim in Christo ex unione divinitatis et humanitatis fieri quoddam unum; et hoc quocumque modo appelletur, non

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1309 B.
(2) « *Epilysis* », 1924 C.
(3) Ibid., 1925 A.

contendit : « εἴτε πρόσωπον, εἴτε ὑπόστασιν, εἴτε ἄτομον, εἴτε ὑποκείμενον, εἴτε τι ἄλλο φίλον καλεῖν αὐτὸ, οὐ διαφέρομαι » (1).

VI. — De proprietatibus (ποιότητες).

Ad naturam atque ad hypostasim, ut vulgatum est, quam maxime accedunt notae illae, quas, ex usu traditionali, *proprietates* nuncupant. Sunt hae interea formalitates quaedam, quae a natura marte suo profluunt, veluti eius complementum atque consectarium. Haec, cum frequentiora sint in philosophia peripatetica, nil mirum si auctor noster eis fuerit praeoccupatus. Unde inquiramus opus est quid senserit Leontius de proprietatibus. Ast heic pariter, deficiente forsitan opportunitate, tenuis est documentorum seges, quorum ope nobis liceat plenam proprietatum tradere notionem.

Itaque per *proprietates* seu *qualitates* huiusce generis intelligit Leontius aliquid quod de ipsis praedicatur substantiis et quidem *essentialiter :* « ὅπερ ἐστὶν ἰδεῖν (quod modo dixit) ἐπὶ... τῶν οὐσιωδῶς κατ' αὐτῶν (scilic. οὐσιῶν) κατηγορουμένων· ποιότητες δὲ αὗται καλοῦνται ». Eiusmodi proprietates, etsi de essentiis essentialiter praedicentur, nihilominus diversi sunt ordinis, diversaeque naturae, seu rectius, ad aliam pertinent naturam : « ἀλλ' ὡς τῆς θατέρου φύσεως καὶ οὐσίας ». Quae quidem natura non percipitur immediate per se : « μὴ καθ' ἑαυτὴν θεωρουμένης », sed simul cum composita et consita (nempe proprietatibus) « ἀλλὰ μετὰ τῆς συγκειμένης καὶ συμπεφυκυίας » (2).

Easdem proprietates saepissime concipit ceu quid

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1305 C.
(2) Ibid., 1280 B.

proprium et fixe permanens : « ἐν τῇ μονίμῳ ἑαυτῶν καὶ ἀσυγχύτῳ ἰδιότητι μείναντα » (1).

Demum proprium est proprietatum naturam subiecti, cui insunt, patefacere : « Αὗται γὰρ αἱ οὐσιοποιοὶ ἰδιότητες τὴν φύσιν τοῦ ὑποκειμένου δηλοῦσι » (2). — Hic exprimitur ipsius S. Thomae principium.

Intimius praeterea penetrat naturam et assignat species harum proprietatum. Etenim proprietates, inquit, duplicis sunt generis; aliae sunt *essentiales*, aliae *accidentales :* « ταιαυταὶ δὲ πασαὶ αἱ ποιότητες, αἵ τε οὐσιώδεις, καὶ ἐπουσιώδεις καλούμεναι ». — Non sunt quid hypostaticum (existens in se) quoniam nullam habent essentiam per se subsistentem : « ὧν οὐδετέρα ἐστὶν οὐσία, τουτέστι πρᾶγμα ὑφεστώς ». — Sunt autem quid enhypostaticum (existens in alio), quoniam semper sunt in alia essentia : « ἀλλ' ὃ ἀεὶ περὶ τὴν οὐσίαν θεωρεῖται » (3).

Priusquam ultra progrediamur, brevem ob oculos ponamus adnotationem maxime interest quae iterum Leontii et Aristotelis doctrinalem exhibebit affinitatem.

Iam triplicem potissime Leontii conceptum in lucem protulimus, quippe *naturam* (φύσιν), aut *essentiam* (οὐσιαν), *hypostasim* (ὑπόστασιν), et *proprietates* (ποιότητες). — Porro hi tres conceptus adamussim respondent, mutatis paululum vocabulis, tribus conceptibus Aristotelis et medii Ævi Doctorum. Et revera :

1° Φύσις seu οὐσία correspondet δευτέρᾳ οὐσίᾳ Aristotelis, secundae substantiae Scholasticorum, cuiusmodi sunt elementa universalia, puta, *genera* et *species*.

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1304 C.
(2) « *Epilysis* », 1928 C.
(3) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1277 D.

2° Ὑπόστασις correspondet πρώτῃ οὐσίᾳ Aristotelis, primae substantiae Scholasticorum, cuiusmodi sunt individua, Petrus, Paulus, etc.

3° Ποιότητες οὐσιώδεις respondent διαφοραῖς εἰδοποιοῖς Aristotelis, differentiis specificis Scholasticorum, puta, *rationabilitati* in homine.

VII. — De accidentibus (συμβεβηκότα).

Ad complementum expositionis conceptuum christologicorum, quos in scriptis detegimus Leontii, et in quibus magis ac magis influxus affulget philosophiae peripateticae, praestat et aliqua de *accidentibus* enarremus.

Iam *accidentium* nomine veniunt apud auctorem eiusmodi notae atque formalitates quarum praesentia aut absentia nullam affert mutationem *naturae* (φύσει) individuorum; nam, non obstante diversitate accidentium quibus afficiuntur, omnia individua unius speciei (εἴδους) sunt consubstantialia (ὁμοούσιοι) (1). Eiusmodi accidentia dicuntur etiam a Leontio, post Aristotelem « ἰδιώματα ἀφοριστικά » (2).

Praeposita notione accidentium, Leontius ipsa in duplicem partitur speciem. Alia enim sunt separabilia a subiecto cui insunt (χωριστικά), alia autem nequeunt separari (ἀχωριστικά) (3).

Quae vero rationem utriusque speciei accidentium plene aperiunt, apud Leontium reipsa deficiunt, quandoquidem pauca omnino sunt quae ipse de accidentibus

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1280 A.
(2) « *Epilysis* », 1917 C.
(3) Ibid., 1945 B.

disputat. Attamen haud difficile est sibi effingere quid sint in mente Leontii duae hae accidentium species, eo vel magis quod, esto breviter, attamen quaedam in hunc finem nobis auctor suppeditat.

Iam quoad accidentia separabilia nulla est difficultas. Sunt enim affectiones instabiles et mutabiles, quae possunt subiecto inesse aut ab eo abesse. Huiusmodi sunt *aegrotare, sedere, pallescere.*

Quod autem ad accidentia attinet inseparabilia, quae sunt eiusmodi ut nequeant separari a subiecto, variis appellationibus a Leontio designantur. Modo ab eo dicuntur *signa separantia* « ἀφοριστικὰ σημεῖα » (1), propterea quod sunt indicia quibus unum individuum ab alio seiungitur; modo ea, in aliquo sensu, vocat *proprium* « ἴδιον et ἰδιοποίον » (2) propterea quod sunt pro individuis id quod *differentiae specificae* « εἰδοποιοὶ διαφοραί » sunt pro speciebus.

Ex his sat apparet *accidentia inseparabilia* medium veluti occupare inter *accidentia separabilia* et *differentias specificas.* Dum enim ex una parte sunt minus necessaria quam differentiae specificae, quoniam essentiam rei nullatenus ingrediuntur, ex altera altiorem habent in individuis radicem quam accidentia separabilia, quae sunt qualitates prorsus instabiles. Hoc igitur spectato, per oppositionem ad differentias specificas, haec inseparabilia accidentia merito dici possunt *proprietates accidentales,* « ποιότητες ἐπουσιώδεις » ac, eapropter, distingui ab accidentibus in stricto ac presso sensu acceptis, nempe ab accidentibus separabilibus.

(1) « *Epilysis* », 1928 C.
(2) Ibid., 1917 C, et 1928 D.

CAPUT QUARTUM.

De unione in genere, deque variis eius speciebus.

Cum, ex omnium confesso, unio hypostatica sit totius christologiae centrum, cumque, praeterea, quaestio de unione hypostatica a quaestione de unione in genere pendeat, ideo priusquam manum admoveamus ad dilucidandam unionem hypostaticam, non abs re erit, bene vero rationi ordinis consentaneum, substantiam colligere doctrinae LEONTII de unione generatim inspecta inter diversa elementa.

Bifariam porro versat LEONTIUS quaestionem de unione generatim sumpta :

Primum enim, vestigia ARISTOTELIS calcans, distinguit triplicem unionis speciem, quae maximi apud Scholasticos posteriorum temporum in re cum philosophica tum theologica existimata fuit. Hanc autem unionis partitionem, quam supra vix tetigimus (cap. secundum, IV) necesse est apposite impraesentiarum fusiore explanemus calamo.

Itaque :

1° Prima unionis species duo involvit, nimirum : utique fit sine confusione naturarum, quae copulantur, quatenus nempe etiam in composito quaelibet natura suam propriam servat rationem : « σώζει τὸν ἴδιον τῆς ὑπάρξεως λόγον » : secundo tamen ambae naturae unum numero efformant suppositum : « ἓν τῷ ἀριθμῷ ἀποδει-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1277 D.

κνυσι » : — Exemplum huiusce unionis est *homo :* « ὁ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος ». Et revera homo constat duabus naturis, quippe anima et corpore. In unione anima et corpus nullo modo confunduntur, neque commiscentur, verum remanent distincta. Nihilo tamen minus unicum constituunt individuum, scilicet hominem (1).

Istiusmodi unio dicta fuit a Scholasticis *suppositalis* seu *personalis*, quoniam ea quae uniuntur, unicum constituunt suppositum aut unicam personam, quin una eademque evadant natura.

2° Alia et quidem debilior ac infirmior unionis species adest quando elementa, quae uniuntur, non tantum non commiscentur ad unicam efformandam naturam, sed neque constituunt unicum suppositum : « ἀμιγῶς συνάπτονται ». Ceu huius unionis specimen proponit auctor « splendores siderum, quatenus sive inter se sive cum aere copulantur » : « ὥσπερ τῶν φωσφόρων ἄστρων αἱ μαρμαρυγαί, ἀλλήλας τε καὶ ἀέρι κυρνάμεναι » (2). Hi enim splendores remanent omnino distincti sub omni facie. Servant, uti ait auctor, proprietatem quantitatis in qualitate : « ἰδιότητα τοῦ ἐν τῷ ποιῷ ποσοῦ » (3).

Huic unioni respondet illa, quae a Scholasticis dicebatur *accidentalis*, quae nempe nullatenus descendit ad dotes elementorum substantiales.

3° Ultima unionis species adest quando elementa copulata commiscentur et confunduntur inter se : « συγχεῖται » (4), ita ut mutationem subeant ex qua propriam amittunt naturam atque novam constituunt. Ad illus-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1304 B.
(2) Ibid., D.
(3) Ibid.
(4) Ibid., B.

trandam hanc unionis speciem praebet auctor id quod accidit in iis quae liquantur, « ἐπὶ τῶν τηκτῶν », et in metallis, « καὶ τῶν μεταλλικῶν », et aliis quae ex arte solent fieri apud medicos et artifices, « ὅσα τοῖς ἰατροῖς ἢ βαναύσοις κιρνᾶσθαι... μεμηχάνηται » (1).

Haec tertia unionis species dicta fuit a Scholasticis *substantialis*, ex qua quippe unica constituitur substantia unicaque natura.

Transeamus nunc ad alterum respectum sub quo auctor considerat et partitur unionem. Ex hac autem parte nonnisi duplicem veluti distinguit speciem seu rationem unionis, « τῶν ἑνώσεων καὶ τῶν διακρίσεων διττὸς ὁ λόγος ». Quaedam enim uniuntur *speciebus* et separantur *hypostasibus* : « τὰ μὲν γὰρ ἥνωται τοῖς εἴδεσι, διῄρηται δὲ ταῖς ὑποστάσεσι ». Huiusmodi sunt, puto, quamvis auctor reticeat, individua eiusdem speciei. Ita e. g. omnes homines inter se uniuntur specie, quia collocantur sub una atque eadem specie; sed simul separantur hypostasibus, quia sunt totidem individua distincta. Alia e contra, pergit LEONTIUS, separantur *speciebus* et uniuntur *hypostasibus* : « τὰ δὲ διῄρηται τοῖς εἴδεσι, ἥνωται δὲ ταῖς ὑποστάσεσι ». Eiusmodi puto esse e. g. unionem inter animam et corpus in homine, aut humanitatem et divinitatem in Christo. Et revera in Christo Divinitas et humanitas sunt specie separatae, quoniam sunt duae naturae diversae; hypostasi autem sunt unitae, quoniam coeunt in unam et eamdem personam.

Pergit LEONTIUS ad penitiorem unionis introspectionem, etsi revera verba, quae huc nobis occurrunt, sint

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1305 A.

valde obscura, adeo ut censeat Cl. Loofs (1) ea esse corrigenda. Ast parvi sane interest pro re praesenti, ut de textus indagemus rectitudine.

Eorum quae uniuntur, subdit igitur auctor, quaedam habent solummodo simplicem unionem, « τὰ μὲν ἁπλῆν ἔχει τὴν ἕνωσιν », quaedam autem compositam, « τὰ δὲ σύνθετον ».

Eiusmodi textus, uti patet, debita caret claritate. Atque, si mihi liceat aliquam proponere interpretationem, sentio unionem simplicem habere ea quae, ut modo dicebat, speciebus sunt unita et hypositasibus divisa : e contra unionem compositam habere ea quae copulata sunt hypostasibus et divisa speciebus.

Nihil amplius dicit de unione simplici. De unione autem composita quaedam summatim subiungit, quae digna notatu sunt, utpote declarantia diversos modos secundum quos fieri quit. Dicendum, subdit, nobis est, « λεκτέον ἡμῖν », de iis quae habent unionem compositam, « περὶ τῶν κατὰ σύνθεσιν », sive *connexionem, implicationem*, « συμπλοκὴν », vel *confusionem*, « ἢ κρᾶσιν », vel *unionem*, « ἢ ἕνωσιν », vel quomodocumque vocare libet, « ἢ ὅπως ποτὲ φίλον καλεῖν » essentiales habitudines eorum quae specie differunt, « τὰς οὐσιώδεις τῶν ἑτεροειδῶν σχέσεις » (2).

(1) P. 67, in *nota*.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1301-1304 A.

CAPUT QUINTUM.

De unione hypostatica in Christo.

Constabilita doctrina Leontii de unione in genere, iam nobis viam planavimus ad pertractionem aggrediendum de unione hypostatica in Christo. Haec est enim methodus ipsius auctoris. Nam, praepositis variis speciebus unionis, saltum facit ad inquirendum ad quamnam unionis speciem reducatur unio hypostatica. Quapropter requiritur ut investigemus nunc quomodo Leontius intellexerit ac simul contra adversantes vindicaverit unionem hypostaticam.

Age iam; ut completam hac de re Leontii doctrinam adsequamur, duplici veluti indigemus prospicere parti, coacti ipsius auctoris progressus indole. Et sane Leontius ad explanandam unionem hypostaticam duplici via incedit, scilicet, alia *directa* et *positiva*, stabiliendo germanam unionis hypostaticae theoriam; altera *indirecta* et *negativa* evellendo praeposteras interpretationes.

I. — Vera unionis hypostaticae theoria.

Sub quocumque respectu versat Leontius quaestionem de unione hypostatica. Quae autem de hoc disputat argumento, ad quatuor capita reduci queunt. Disserit enim de intestina unionis hypostaticae natura, de eius extremis, de eius dotibus, de tempore in quo facta est.

A) *De intestina unionis hypostaticae natura.*

Exordio historice refert atque narrat Leontius quomodo diversimode fuerit intellecta atque exposita a variis auctoribus unio hypostatica. Atque pro numero simul ac diversitate partium, quae de unione disputarunt hypostatica, tres, inquit, lucem aspexere opiniones : « τρεῖς... δόξαι περὶ τῆς ἑνώσεως τῶν Χριστῷ φύσεων ». Tres eiusmodi opiniones sunt : *dividens*, « διαιρετικὴ » : *confundens*, « συγχυτικὴ » : et proprie dicta *uniens*, « ἡ κυρίως ἑνωτικὴ λεγομένη ». Duae priores sunt haereticae; tertia est orthodoxa.

1° *Unio dividens.* Conspicuum est hanc esse unionem a Nestorianis propugnatam. Videamus qua ratione auctor eiusmodi unionem exponit. Haec unio, ait, *in se* spectata, est tantum habitudinis seu moralis : « ἡ τε διαιρετικὴ σχετική τις οὖσα » : *quoad tempus* non fuit ab initio; nam iuxta Nestorianos Verbum advenit Christo iam formato : « μηδὲ τὴν ἀρχὴν τὰς φύσεις συνάπτουσα » : *elementa separata* relinquit : « κεχωρισμένα ἀλλήλων καταλείπει τὰ πράγματα » : nec eis quae sunt *communia*, neque quae sunt *propria* tribuit : « μηδ' ὅσα κοινὰ, μηδ' ὅσα ἴδια τούτοις διδοῦσα » : adeo ut duae statuantur species inter se divisae : « ὡς δύο εἴδη πάντη καὶ χωριστὰ ἀλλήλων ὁρίζεσθαι » : demum *divisionem naturarum*, « φύσεων χωρισμὸν », inumbrat, « ἐπισκιάζουσα », *dignitate*, « ἀξίᾳ » et *mente*, « καὶ γνώμῃ », et *eadem voluntate*, « ταυτοβουλίᾳ ». Et revera notum est Nestorianos admisisse tantum unionem dignitatis, aut sensus aut voluntatis. His enim vocabulis fucatum suum spargebant errorem.

2° Unio praecedenti e diametro opposita, est *confundens*. Evidens est heic agi de unione ab Eutychianis proposita, qui plus aequo unionem exagerabant naturarum. Haec unio, ait Leontius, omnia *delet* ac *confundit* : « πάντα ἀφανίζουσα καὶ συγχέουσα » : unam rem *adulterinam fingit* et *imaginatione format* : « ἕν τι πρᾶγμα νόθον ἀναπλάττει τε καὶ φάνταζεται » : in neutro unitorum pure servat id quod *proprium* est : « ἐν οὐδ' ὁποτέρῳ τῶν ἡνωμένων καθαρῶς τὸ ἴδιον ἀποσώζουσα » : sed hoc esse illud et illud hoc : « ἀλλὰ τοῦτο ἐκεῖνο κἀκεῖνο τοῦτο », et idcirco nec hoc nec illud esse *concedit :* « καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ τοῦτο οὐδὲ ἐκεῖνο εἶναι συγχωροῦσα ».

3° Unio *medi* inter ambas extremas quae est proprie orthodoxorum. Sic eam exponit auctor : Haec unio neque *confundit* neque iterum *dividit :* « ἡ ἀσύγχυτός τε καὶ ἀδιαίρετος ἕνωσις » : novit elementa unita nullatenus *deficere* et *evanescere :* « οἶδεν μὲν τὰ ἑνωθέντα ἀνελλειπῶς ἔχοντα », verum perseverare secundum *suas proprietates* propter immutabilitatem : « κατὰ τὴν ἑαυτῶν ἰδιότητα διὰ τὸ ἄτρεπτον » : haec autem facit *communia* necnon *unius* esse propter ipsam unionem essentialem : « κοινὰ δὲ ταῦτα, καὶ ἑνὸς εἶναι ποιεῖ δι'αὐτὴν γε τὴν οὐσιώδη ἕνωσιν » : ita ut *propria* alterutrius sint *communia* totius : « ὡς εἶναι τὰ μὲν κυρίως ἴδια θατέρου, κοινὰ τοῦ ὅλου », *communia* vero totius *propria* alterutrius : « τὰ δὲ τοῦ ὅλου κοινὰ θατέρου », et hoc propter *inconfusam* in alterutro proprietatem : « διὰ τὴν ἐν θατερῳ τοῦ ταυτοῦ ἀσύγχυτον ἰδιότητα ».

Postremam hanc unionem mediam intercedere inter duas haereticas ita ostendit. Haec unio magis est *una* quam illa, quae omnino dividit (Nestoriana) : « τῶν μὲν πάντη διαιρετῶν ἑνικωτέρα », et *ditior* quam illa quae pe-

nitus confundit (Eutychiana) : « τῶν δὲ πάντη συγχυτικῶν πλουσιωτέρα » ; siquidem neque *idem* omnino facit esse unita, neque rursus prorsus *diversum* : « μήτε πάντη ταυτὸν εἶναι ποιεῖν τὰ ἑνωθέντα ἀλλήλοις, μηδὲ πάντη ἕτερον » (1).

Expositis variis his opinionibus, iam strictius, semper historice procedendo, diversas tangit circa unionem hypostaticam theorias. Unionem, ait, Divinitatis cum humanitate, alii secundum essentiam factam esse affirmarunt, alii secundum operationem, alii secundum sensum : « τὴν ἕνωσιν τῆς θεότητος πρὸς τὴν ανθρωπότητα οἱ μὲν κατ' οὐσίαν, οἱ δὲ κατ' ἐνέργειαν, οἱ δὲ κατὰ γνώμην γεγενῆσθαι ἀπεφήναντο ». Alii autem, ob nimiam in Deum reverentiam, ineffabilem eam declararunt, necnon nomine carentem : « ἄῤῥητον αὐτὴν καὶ ἀκατονόμαστον γεγενῆσθαι ἀπεφήναντο » (2).

His historice enarratis, auctor directe atque suo iudicio praedefinit quomodo sit dicenda eiusmodi unio hypostatica, necnon quaenam sint formulae, quibus eam Patres enuntiarunt. Hac ex parte videamus :

Imprimis docet unionem hypostaticam, in se sumptam, dici debere *secundum essentiam* : « τῆς δὲ κατ' οὐσίαν ἑνώσεως μεγαλοφώνως κηρυττέσθω ἡ ἀλήθεια, καὶ περὶ ταυτῆς φιλοσοφηθέον » (3).

Idem omnino repetit, addendo praeterea unionem hanc *essentialiter* factam esse : « Καὶ τί δεῖ λεγεῖν περὶ τῆς κατ' οὐσίαν καὶ οὐσιώδως ἑνώσεως » κ.τ.λ. (4). Quibusdam interiectis, addit deinde modum unionis esse *se-*

(1) « *Epilysis* », 1940 C D-1941 A B.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1297 D.
(3) Ibid., 1301 C.
(4) Ibid., 1380 B.

cundum essentiam, et non *secundum habitudinem* : « ὁ τρόπος δηλαδὴ τῆς ἑνώσεως οὐσιωδῶς ἀλλ' οὐ σχετικῶς γεγονώς » (1).

Non tantum est haec doctrina propria, sed insuper eam proponit ut SS. Patrum. Disputando contra Nestorianos, ait non esse quaestionem de vocibus, sed de unione, quam SS. Patres essentialem praedicarunt, dum e contra Nestoriani secundum habitudinem eam statuerunt : « ἣν [scil. ἕνωσιν] οἱ Πατέρες οὐσιωδῶς γεγενῆσθαι ἐφρόνησαν, ὑμεῖς δὲ σχετικήν τε καὶ γνωμικὴν ταύτην εἰσάγετε » (2).

Quoniam autem, uti iam superius vidimus, φύσις et οὐσία sunt unum et idem (3), ideo devenimus ad conceptum *unionis physicae*, ἑνώσεως φυσικῆς.

Formula autem communior, a Leontio adhibita, est *unio hypostatica* : « ἕνωσις καθ' ὑπόστασιν ». Saepe autem de *unione hypostatica* sermonem habet, potissime ubi edisserit de communicatione idiomatum (4).

B) *De extremis unionis hypostaticae.*

Discussa intestina unionis hypostaticae natura, ulterius inquirit Leontius quaenam sint extrema, seu elementa, quae fuere per unionem hypostaticam copulata. Quaestio sub alio respectu proponi potest, et sic reipsa ab ipso enuntiatur auctore, quid videlicet assumpserit Verbum per incarnationem? Iam accuratius pertractat Leontius quaecumque eiusmodi quaesitum respiciunt.

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », C.
(2) Ibid., D.
(3) Ibid., 1309 B.
(4) Cf. interea, 1305 C D.

Ad dirimendam istiusmodi quaestionem movet auctor a principio *soteriologico*, scilicet Verbum Incarnatum esse propter nostram salutem plenam atque perfectam : « πρὸς παντελῆ σωτηρίαν ἡμῖν » (1). Hoc praeposito, supponit deinde ab ipso adversario concedi Verbum carnem assumpisse. Sed hoc, subdit, non sufficit, secus salus nostra maximum in descrimen versaret : « Εἰ γὰρ σάρκα μόνην ὁ Κύριος ἥνωσεν ἑαυτῷ, ἄρ' οὐχὶ τῷ μεγίστῳ ἐκινδύνευε τὰ τῆς σωτηρίας ἡμῖν » (2). Unde, quia anima potissimum purgatione indigebat, « ψυχῆς... τὰ μάλιστα προσδεομένης καθάρσεως », ideo fuit a Verbo assumpta, « καὶ διὰ τοῦτο προσειλημμένης » κ. τ. λ. (3). Igitur, concludit, totum hominem, constantem nempe corpore et anima intellectiva, sibi Verbum essentialiter univit : « Ὅλον οὖν ἄνθρωπον, τὸν ἐκ σώματος λέγω καὶ ψυχῆς λογικῆς τε καὶ νοερᾶς συγκείμενον, οὐσιωδῶς προσλαβών » κ. τ. λ. (4).

Ex eodem arguens principio *soteriologico* docet Dominum sibi univisse carnem et animam nostris similes, secus haud nostrae providisset saluti : « τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἀνακαθαίρων » (5).

Ultra progrediens tradit hanc unionem factam fuisse inter naturas, non autem inter hypostases. Talis est, ait, professio fidei orthodoxorum : « Ἡμῶν τοίνυν οὐχ ὑποστάσεων ἕνωσιν, ἀλλὰ φύσεων πρεσβευόντων » κ. τ. λ. (6).

Quaenam vero sint, in stricto sensu, partes Christi? Obiecerant Nestoriani : Si Christus assumpsit simul

(1) « *Adv. Nest et Eutych.* », 1324 C. *Aphtar.*
(2) Ibid., D. *Orthod.*
(3) Ibid., *id.*
(4) Ibid., 1325 A. *id.*
(5) Ibid., A et B. *Orthod.*
(6) « *Epilysis* », 1933 D.

animam et corpus; cum autem anima et corpus sint duae naturae diversae, consequitur in Christo non fuisse duas naturas sed tres, nempe, *Divinitatem, corpus* et *animam*. Huic obiectioni respondet LEONTIUS accurate determinando partes Christi. Negat igitur conclusionem haereticorum; nam, inquit, partes *immediatae* et *directae* Christi sunt Divinitas et humanitas: corpus vero et anima sunt *partes partis*, scilicet partes humanitatis : « Μέρη μὲν γὰρ Χριστοῦ ἀσύγχυτα θεότης καὶ ἀνθρωπότης. Ψυχὴ δὲ καὶ σῶμα, οὐ μέρη Χριστοῦ, ἀλλὰ μέρη τοῦ μέρους ». Inde proinde concludit supervacaneam esse subdivisionem in naturas partium : « περιττὴ ἡ εἰς φύσεις τῶν μερῶν ὑποδιαίρεσις » (1).

C) *De praecipuis unionis hypostaticae dotibus.*

Ratione habita supereminentis unionis hypostaticae praestantiae, quasdam eius dotes declarat LEONTIUS, eamque hac de causa summopere exaltat. Praecipuas tantum sufficiat referre dotes.

1° Unio hypostatica non est *naturalis*, id est, neque secundum leges ordinis naturalis, neque opus virium naturalium, verum est opus supernaturale seu virtutis divinae. Unionem hypostaticam esse opus virtutis divinae argumento *a fortiori* demonstrat. Tantum abest, inquit, ut dicam Verbum Deum ex naturae definitione habere unionem cum nostra natura, ut nec humanae animae possibile sit naturaliter, absque virtute divina, ad corpus suum habere unionem : « οὐδὲ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς πρὸς τὸ ἑαυτῆς σῶμα συνάφειαν φυσικῶς πάσχειν, ἄνευ

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1297 B.

τῆς θείας δυνάμεως λέγειν ἀνέξομαι ». Quinimo ne ipsammet elementorum mixtionem sola natura fieri dicam, sed potius ratione divina ad ordinem harmoniamque ipsa reduci : « λόγῳ δὲ μᾶλλον θείῳ... εἰς τάξιν καὶ ἁρμονίαν ἄγεσθαι » (1).

2° Sola est *ineffabilis*, neque mente humana concipi ullatenus quit unio secundum essentiam et essentialis et enhypostatica: « Ἄῤῥητος γὰρ ὄντως ἐστιν καὶ ἀνεννοήτος μόνη ἡ κατ' οὐσίαν τε καὶ οὐσίωδης καὶ ἐνυπόστατος ἕνωσις ». Ostensa deinceps difficultate maxima capiendi eiusmodi unionem ob eius indolem mysteriosam, concludit, fidem duntaxat haec adsequi et Verbum Divinum, quod haec illuminatione patefacit intelligentiae : « ταῦτα πίστις χωρεῖ μόνη, καὶ Λόγος θεῖος ὁ... ἐν τῇ κατ' ἕνωσιν ἐλλάμψει τρανῶν ταῦτα » (2).

D) *De tempore.*

Ultimum adnotandum circa unionem hypostaticam est tempus in quo facta fuit. Impugnat Leontius adversantes considerantes naturas ut penitus divisas, et ait : Utique si fuit aliquando cum non erant haec unita, consideret quis ea ut penitus separata. Sin autem unionem Verbi scimus simul exstitisse cum exstitit humanitas, « εἰ δὲ σύνδρομον τῇ ὑπάρξει τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Θεοῦ Λόγου ἴσμεν τὴν ἕνωσιν », quomodo, quae nunquam inter se fuere separata, subibunt rationem penitus divisorum (3)? Ut igitur ex praefatis apparet verbis, statim ac concepta fuit humanitas, Verbum

(1) « *Epilysis* », 1940 B.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1300 A B.
(3) « *Epilysis* », 1937 A.

eam sibi univit; unde, nullatenus, ratione temporis, humanitas praecessit assumptionem a Verbo, et cum eo unionem. Ex hoc capite habes novam theoriae Nestorianae eversionem, quippe quae docebat conceptum fuisse merum hominem et deinde ipsi accidentaliter unitum fuisse Verbum Divinum.

II. — Refellitur falsa theoria unionis hypostaticae.

Postquam didactico modo veram unionis hypostaticae stabiliverit theoriam, iam Leontius arma arripit contra hostes, et falsas atque adulterinas eorum opiniones profligat. Porro duae circa unionem hypostaticam, prouti ex supra dictis liquet, erraverant partes, nimirum Nestoriani ipsam removentes, et Eutychiani seu Monophysitae eam exagerantes. Quocirca nititur Leontius unionem hypostaticam subvertere cum in sensu Nestoriano, tum in sensu Monophysitarum. Videamus eapropter quaenam sint argumenta, quibus utitur contra ambas haereses.

Praeclarissimum habemus locum in quo binas insectatur auctor partes, earumque erroneam refellit doctrinam. Primum generatim asserit eos, qui non retinuerunt unionem secundum essentiam, verum admiserunt duntaxat unionem secundum *operationem* aut *beneplacitum*, aut aliam quamdam huiuscemodi habitudinem, neutiquam ad veritatem accessisse : « Οἱ τὴν ἕνωσιν μὴ κατ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατ' ἐνέργειαν, ἢ εὐδοκίαν ἢ ἄλλην τινὰ τοιαυτὴν σχέσιν δογματίσαντες, κατ' οὐδὲν μὲν τῇ ἀληθείᾳ ἐγγίζουσι » (1).

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1300 B.

Hac praeposita generali assertione, singillatim deinde confutat Leontius ambas heterodoxas opiniones. In hac porro confutatione hoc unum dignum notatu est, quod nempe eadem adhibeantur argumenta, quae sequentibus aetatibus et etiamnum a theologis usurpantur.

1° Unio hypostatica non est *dignitatis* (contra Nestorianos) : « οὐ γὰρ πραγμάτων ἕνωσις ἡ τῆς ἀξίας ἕνωσις ». Ratio in promptu est; secus enim, qui dignitatem participamus divinam, in idem abiremus cum divina essentia : « οὕτω γ' ἂν καὶ πάντας τοὺς τῆς θείας λελογχότας ἀξίας, εἰς ταυτὸν ἄξωμεν τῇ θείᾳ οὐσίᾳ ». Atque omnes sancti, uti notum est, per gratiam sanctificantem, divinam sortiuntur dignitatem. Quapropter docere cogemur duas esse naturas in singulis sanctis : « καὶ δύο φύσεις ἐφ' ἑκάστου τῶν ἁγίων δογματίσωμεν » (1).

Ex aliis praeterea argumentatur principiis contra Theodorum Mopsuestenum, in *prologo* ad Patrum citationes (2) : Theodorus Mopsuestenus, Nestorii antesignanus, negata unione hypostatica, concluserat alium esse Deum Verbum, alium Iesum Christum; illum salvantem, hunc salvatum esse : « τὸν μὲν σώζοντα, τὸν δὲ σωζόμενον ». Hoc autem assertum duplici via refellit Leontius.

Imprimis, ait, qui hoc docent, debent proin negare salutem non fuisse allatam per Christum Dominum. Enimvero, qui ab alio fuit salvatus, quomodo alios potest salvare? « Ὁ γὰρ παρ' ἄλλου... σώθεις, ἑτέρους πῶς δύναται σώζειν »;

Deinde idem evincit ex receptione corporis et sanguinis. Qui hoc sentiunt, addit, cuius putant corpus et

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1300 D.
(2) Ibid., 1385 C D.

sanguinem in communione se recipere? An eius qui beneficium contulit, an eius qui beneficium accepit? Si Dei Verbi beneficium conferentis, quomodo hoc dicunt, dum non profitentur ipsum Incarnatum hominemque factum esse? « μὴ ὁμολογοῦντες αὐτὸν σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι »; Si autem beneficium accipientis, inanis est profecto eorum spes, dum anthropolatriam fatentur: « ματαία αὐτῶν ἡ ἐλπίς, ἀνθρωπολατρείαν πρεσβευόντων ».

2° Neque unio hypostatica potuit esse per confusionem naturarum (Contra Monophysitas). Ratio haec est: Si enim unio inter humanitatem et Divinitatem facta fuisset per confusionem naturarum, iam, peracta unione, in Christo neque humanitas remansisset, neque divinitas, sed quid novi contigisset: « Εἰ τοίνυν θεότης καὶ ἀνθρωπότης κατ' οὐσίαν ἐνωθεῖσαι, μὴ φυλάττουσι... τὴν ἑαυτῶν φυσικὴν ἰδιότητα συγκέχυται, καὶ οὔτε θεότης ἔμεινεν, οὔτε ἀνθρωπότης, ἀλλ' ἕτερον οὐσίας εἶδος ἐκ τούτων γένομενον ». Merito concludit auctor: Hoc quid magis impium magisque detestabile excogitari quit, nedum sentire et docere: « οὗ τι ἂν γένοιτο ἀσεβέστερον ἢ βδελυκτότερον κἂν ἐννοῆσαι μὴ ὅτι φρονοῦντας δογμάτισαι » (1).

CAPUT SEXTUM.

De constitutione Christi, seu de composito theandrico.

Dogma catholicum de constitutione Christi mirum in modum contractum fuit in formula synodi Chalce-

1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1305 B C.

donensis qua statuitur scilicet, duas esse in Christo inconfusas naturas in unitate personae. Ut igitur funditus mentem LEONTII circa Christi constitutionem dignoscamus, duo praeiacta capita explanemus oportet.

I. — DE MONOHYPOSTASISMO.

Innumera sane sunt loca in quibus LEONTIUS tuetur, contra Nestorianos, unitatem hypostaseos in Christo. Praeprimis adnotandum admodum est modo generali ac fusiore sermone per totum lib. I operis « ADV. NEST. ET EUTYCH. » vindicare veritatem catholicam de unitate personae in dualitate naturarum, cum adversus Nestorianos tum adversus Eutychianos. Hoc praenotato, accedamus nunc ad documenta particularia.

Locum, ceu classicum et insignem, iam supra attulimus, in quo nempe LEONTIUS expresse declarat rationem demonstrare *ex his*, scilicet *ex humanitate et divinitate unum quoddam* fieri, « ἕν μέν τι τούτων εἶναι τὸ ἀποτέλεσμα », quocumque modo nuncupetur, *persona*, *hypostasis*, aut *individuum*, aut *subiectum* (1).

Praeterea indicium hypostaseos, uti luculenter statuerunt Doctores medii Aevi, est pronomen *alius*. Porro hoc apposite quaerit *Acephalus :* Non est igitur (Christus) *alius* ab *alio?* « οὐκ ἔστιν οὖν ἄλλος ἀπὸ ἄλλου » ; Quid respondet *Orthodoxus?* Minime gentium : « οὐ πάντως » : secus enim introducerentur duae hypostases, quoniam ἄλλος est signum hypostaseos, et ubi non sunt duae hypostases, non potest dici ἄλλος et ἄλλος » (2).

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1305 C.
(2) « *Epilysis* », 1917 C.

Ex relatione duplicis mysterii, nempe SS. Trinitatis et Incarnationis, hanc eamdem veritatem quam maxime illustrat. Caeteroquin, munus hoc intermedii, quod Christo ex sua natura competit, semper fuit à Patribus exploratum, ut naturam Verbi Incarnati rectius caperent. Ad hunc ipsum respectum respicit eapropter *Orthodoxus* in suamet contra *Acephalum* disputatione. Iam Verbum Incarnatum duplicem quidem ac simul oppositam relationem habet, prout ad SS. Trinitatem refertur, aut consideratur ut humanitati unitum; nam in Divinis *identitatem naturae* unit Verbum, verum *diversitatem hypostaseos* dividit : « ἐπὶ τούτων μὲν τὸ ταυτόν τῆς οὐσίας συνάπτων, τό ἑτεροῖον τῆς ὑποστάσεως διαιρεῖ ». E contra in mysterio Incarnationis, *diversitatem* dividit *essentiae* et copulat *identitatem hypostaseos* : « ἐνθαῦτα δὲ τὸ ἑτεροῖον τῆς οὐσίας χωρίζων, τὸ ταυτόν συνάπτει τῆς ὑποστάσεως » (1).

Interea hanc cum Trinitate comparationem praeeligit quasi Leontius. Enimvero affert auctoritatem Gregorii affirmantis contra esse omnino in SS. Trinitate quam in mysterio Incarnationis Salvatoris. Exinde ita arguit : Porro in SS. Trinitate tres hypostases et unam profitemur naturam : « τρεῖς δὲ μὲν τὰς ὑποστάσεις, μίαν δὲ φύσιν ἐπὶ τῆς θεολογίας ὁμολογοῦμεν » : ergo quomodo in *Oeconomia* non concedemus dari duas naturas et unam hypostasim? « πῶς οὐ δύο μὲν φύσεις, μίαν δὲ ὑπόστασιν ἐπὶ τῆς κατὰ τὸν Σωτῆρα οἰκονομίας δώσομεν » (2);

Eamdem comparationem ex SS. Trinitate deprompatam alibi repetit, iterumque unitatem hypostaseos inculcat. Nam, postquam tradiderit neque omnino idem,

(1) « *Epilysis* », D.
(2) « *XXX, Cap.* », cap, 11.

neque omnino diversum esse, quod ex unione exsistit hypostatica, contra Monophysitas, pro quibus erat omnino idem, et Nestorianos, pro quibus erat omnino diversum, investigat idcirco qua ratione sit *idem* et qua *diversum*. Respondet autem veram doctrinam statuere esse *idem* secundum *hypostasim*, et *diversum* secundum *naturam* : « ὁ μὲν οὖν τῆς ἀληθείας λόγος, τὸ μὲν ταυτὸν κατὰ τὴν ὑπόστασιν, οἱ δὲ τὸ ἕτερον κατὰ τὴν φύσιν ». Et addit contra fieri in SS. Trinitate, ut tradit Gregorius : « ἔμπαλιν γὰρ ἡ ἐπὶ τῆς Τριάδος ἔχει, κατὰ τὸν θεῖον Γρηγόριον » (1).

Obiecerat *Acephalus* Patres, etsi in theologia distinxerint inter naturam et hypostasim, ubi tamen agitur de oeconomia, nempe in mysterio Incarnationis, saepe saepius pro uno et eodem usurpasse naturam et hypostasim; unde hoc innixi, CYRILLUS docuit « inconfusas mansisse naturas, id est hypostases », et beatus ATHANASIUS « duas esse in Christo personas ».

Quid reponit *Orthodoxus* ad tuendum unitatem hypostaseos? Saepissime, inquit, fit vocum abusus, ex quo sequitur, ut totum vocari soleat nomine partis : « τὸ ὅλον τῷ μέρει καλεῖν φίλον ». Hoc modo, subdit, Patres unamquamque naturam hypostasim vocare consuevere seu personam : « Κατὰ τοῦτο τοίνυν ἑκάστην φύσιν ὑπόστασιν, ἢ πρόσωπον καλεῖν τοῖς πατράσιν... σύνηθες » (2). Si igitur Patres nonnunquam docent duas esse in Christo hypostases aut personas, minime inferendum est hoc eos in sensu Nestorianorum asserere, sumendo nimirum « hypostasim seu personam » in proprio sensu, verum, cum per « hypostasim » intelligant « naturam »

(1) « *Epilysis* », 1941 B.
(2) Ibid., 1925 A.

ideo, dum tuentur esse in Christo duas hypostases, idem est ac si dicerent esse duas naturas. Hinc patet quomodo vindicat Patres contra incusationem laesae unitatis hypostaseos.

II. — QUOMODO SE HABEAT HUMANA CHRISTI NATURA.

Pro complemento doctrinae de unitate in Christo hypostaseos, superest consideremus quomodo se habeat in Christo humana natura. Caretne hypostasi propria necne?

Ad indicandam autem et circumscribendam indolem humanae Christi naturae, enuntiat Leontius celebrem formulam, notamque distinctionem, quam supra aliquatenus adumbravimus, quaeque, ob rei gravitatem, novum et singulare expostulat considerationis momentum.

Auctor noster tria haec distinguit : « ὑπόστασιν, ἀνυπόστατον, ἐνυπόστατον » (1). *Hypostasis* est id quod in se habet propriam subsistentiam. *Anhypostasis* est id quod nullimode habet hic et nunc ad hypostasim relationem. Demum *enhypostasis* est id quod in alio et per alium habet subsistentiam, seu, quod haud gaudet propria subsistentia sed sustentatur et existit beneficio subsistentiae alienae. His praemissis solvit Leontius quaestionem de conditione humanae naturae in Christo. Primo eiusmodi natura non est hypostasis; nam unitur Verbo Incarnato; non existit in se et incommunicabili modo, quod requiritur ad dignitatem hypostaseos. Deinde non est anhypostasis, secus enim esset quid

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1277 D.

abstractum. Nam quidquid existit in ordine reali sustentatur propria aut aliena subsistentia : « Ἀνυπόστατος μὲν οὖν φύσις..., οὐ κἂν εἴη ποτέ » (1). Unde concedit illum, qui dicit naturam non esse anhypostaticam, verum dicere : « ὁ τοίνυν λέγων, οὐκ ἔστιν φύσις ἀνυπόστατος, ἀληθές μὲν λέγει ». Verum male concluderet, si ex eo quod non est anhypostatica, inferret eam esse hypostasim : « οὐ μὴν ὀρθῶς συμπεραίνει, τὸ μὴ ἀνυπόστατον συνάγων εἰς τὸ ὑπόστασιν εἶναι » (2). Quare? Quoniam inter ἀνυπόστατον εἶναι et ὑπόστατον εἶναι, datur medium, scilicet ἐνυπόστατον εἶναι. Remanet igitur hoc tertium, videlicet : natura humana in Christo est enhypostatica et hoc propterea quod non habet in se propriam subsistentiam, sed subsistit in Verbo, « ἐν τῷ Λόγῳ ὑποστῆναι » (3).

In textum praeterea valde obscurum, in quo explicat Leontius conditionem naturae humanae, nunc impingimus. Quamquam eiusmodi textus minus videtur esse veritati consonans, nihilo secius de veritate rei imprimis solliciti, cogimur sane illum interpretari. Age ideo : Ad quaestionem « Cur natura humana in Christo haud est persona? » respondebant quidam theologi varias rationes assignando. Dicebant potissimum propter tria contingere ut humanitas Christi non sit hypostasis, verum ut una cum Divinitate unam faciat hypostasim. Haec tria sunt : 1° Quoniam non fuit prius formata : « διὰ τὸ μὴ προδιαπεπλάσθαι ». 2° Neque in se prius substitit : « μηδὲ προϋφεστᾶναι τὴν τοῦ Κυρίου ἀνθρωπότητα ». 3° Neque perfecta fuit assumpta : « μηδὲ τελείαν προσειλῆφθαι ». Addebant deinde : Quoniam in Verbo subsistit :

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1280 A.
(2) Ibid., 1277 D.
(3) « *Epilysis* », 1944 C.

« ἀλλ' ἐν τῷ Λόγῳ ὑποστῆναι » : propter hoc amborum facit unam hypostasim : « διὰ τοῦτο μίαν ὑπόστασιν ἀμφοτερων ποιεῖν ».

Reponit LEONTIUS suo marte in hoc aliquid esse verum, aliquid vero non : «τὸ μὲν τι ἀληθές, τὸ δὲ οὐκ ἀληθὲς ὂν τυγχάνει ». Quam ob causam aliquid concedit, et aliquid negat. Concedit vero duo, nempe : humanitatem neque prius in se substitisse, neque prius formatam esse : « τὸ μὲν γὰρ μὴ προϋφεστᾶναι, μηδὲ προδιαπεπλάσθαι καὶ ἡμεῖς δώσομεν » : sed negat eapropter fieri unam hypostasim amborum, quasi nimirum aliud fieri haud posset, neque possibile esset ut Deus et *homo perfectus* sic unirentur : « τὸ δὲ διὰ τοῦτο μίαν ὑπόστασιν ἀμφοτέρων ποιεῖν, ὡς οὐκ ἐγχωροῦν ἄλλως, οὐδὲ δυνατὸν Θεῷ, καὶ τελείῳ ἀνθρώπῳ οὕτως ἑνωθῆναι οὐκέτι δώσομεν ». Censet igitur LEONTIUS unionem possibilem fuisse, licet humanitas prius formata fuisset, priusque extitisset, et in se fuisset perfecta. Quaenam sit ratio huius sententiae? Quoniam, ait, neque tempus, quoad praeexistentiam et praeformationem, « οὔτε γὰρ ὁ χρόνος τῆς ἑνώσεως », neque locus, « ἢ ὁ τόπος », neque imperfectio corporis contra imperfectionem humanitatis, « ἢ τὸ ἀτελὲς τοῦ σώματος », bene vero modus ipse unionis facit unum Christum, « ἀλλ' αὐτὸς ὁ τῆς ἑνώσεως τρόπος τὸν ἕνα Χριστὸν πεποίηκεν ». Quocirca videtur LEONTIUS ita arguere : Nihili faciunt ad unionem hypostaticam circumstantiae temporis, loci et conditionis humanitatis ; verum id quod facit unitatem hypostaseos, est ipsemet unionis modus. Quid interest an humanitas fuerit praeformata, an fuerit imperfecta? Sed considerandum est quomodo fuerit unita.

Ex his concludit : Si igitur praeformationem reiici-

mus humanitatis, non ideo est quoniam hoc esset impossibile, sed, quoniam non decebat ipsam nudam, sine Divinitatis consortio, existere : « οὐ τοίνυν διὰ τὸ ἀδύνατον, ἀλλὰ διὰ τὸ (μή, particula haec non est in textu Migne, sed clarum est debere apponi) πρέπειν ψιλήν ποτέ καὶ ἄνευ θεότητος εἶναι τοῦ Κυρίου τὴν ἀνθρωπότητα, τὴν προδιάπλασιν ἐκβάλλομεν » (1).

Iam in verbis praefatis, etsi obscuritate sint perfusa, haud difficile est perspicua perspicere Origenianismi vestigia, ex quo rursus praeterea confirmatur id quod in prima parte demonstravimus, nempe LEONTIUM Byzantinum in coetu Origenistarum aliquot tempus vixisse.

III. — DE DUOPHYSISMO.

Nulla est, ut ita dicam, nulla est facies dogmatis christologici, quam tam strenue ac continuo propugnaverit LEONTIUS ac existentiam duarum in Christo naturarum. Fere omnia eius scripta in id conspirant profecto ut duplicem evincant Christi naturam. Quapropter, ob rei gravitatem ac dignitatem, fusius omnino necesse est hocce caput exploremus.

At innumera sunt argumenta omnigena, quibus auctor duplicem demonstrat Verbi Incarnati naturam, adeo ut nihil hoc in argumento insalutatum dimiserit aut theologis subsequentium aetatum committendum. Omnia enim argumenta, quae solent theologi proponere ad dualitatem naturarum tuendam, iam apud LEONTIUM reperiuntur. Cum autem seges ita sit copiosa, ne ratio ordinis deficiat, perutile est aliquam in eiusmodi ar-

(1) « *Epilysis* », C D.

gumenta introducere partitionem. Itaque ea ad triplicem classem reducimus :

A) *Argumenta directa.*

Exordio factum ipsum dualitatis naturarum asserit Leontius maxima cum claritate maximoque robore. Nulla enim, ita habet, est ratio quae possit ac valeat diversitatem partium etiam in unione destruere : « οὐδεὶς γάρ ἐστι λόγος, ὁ τὸ ἑτεροφυὲς αὐτων (scilic. μερῶν) κἂν τῇ ἑνώσει λυμαινόμενος » (1).

Et revera, animum convertendo ad effectus, qui, ceu signa criteriaque, liquide manifestant naturam ut eorum principium et radicem, absque dubio duplicem conspicimus naturam. Etenim imprimis obviam fit duplex operationum genus, quae demonstrant Divinitatem simul ac humanitatem Christi. Nam miracula et arcana, quae Christus faciebat, eius exhibent Divinitatem : « τὰς μὲν ἀῤῥήτους θεουργίας τῆς ὑπερκειμένης θεότητος προϋβάλλετο γνωρίσματα » : passiones autem, et alia id genus, quae utpote consentanea legi naturae, circa eius corpus facta sunt, ostendunt verum fuisse hominem : « τὰ δὲ πάθη, καὶ πρὸ τούτων τὴν σύλληψιν καὶ τὰ σπάργανα, τήν τε τῆς ἡλικίας αὔξησιν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, ὅσα δὴ νόμῳ φύσεως περὶ τὸ σωματικὸν αὐτοῦ ἐγίνετο, ἀληθῆ αὐτὸν καὶ ἡμῖν ὁμοούσιον ἀπέφαινεν ἄνθρωπον » (2).

Cum his praeterea arctissime connectuntur, quae depromuntur ex diversis proprietatibus. Principium est dualitatem proprietatum dualitatem supponere naturarum. At in Christo, profitentibus ipsis adversariis,

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1289 C D.
(2) Ibid., 1336 C D.

dualitas existit proprietatum. Consequens est ut sit et dualitas naturarum : « εἰ δὲ δύο καὶ κατ' αὐτοὺς μετὰ τὴν ἕνωσιν αἱ ἰδιότητες, τίνων δύο πάντως εἰσὶν ἰδιότητες... Εἰ δὲ τὰς δύο φυσικὰς ἰδιότητας καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν λέγουσιν, ἀεὶ ἄρα αἱ δύο φύσεις » (1).

Hoc idem argumentum, ex diversis scilicet proprietatibus, ex hac quoque parte urgetur quod nempe Christus per varias proprietates distinguitur a Patre et a carne, adeo ut per illam proprietatem, per quam unitur cum carne, nempe per personam, distinguatur a Patre, et vicissim per proprietatem per quam distinguitur a carne, id est per naturam, uniatur Patri : « ἐκ τούτων τοίνυν δῆλον πῶς δύο μὲν φύσεις λέγομεν ἐπὶ Χριστοῦ... ὅτι τῇ ἀφοριστικῇ ἰδιότητι τῇ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς συνάπτεται πρὸς τὴν σάρκα· ὥσπερ... τῇ συναπτούσῃ αὐτὸν φυσικῇ ἰδιότητι τῷ Πατρί, τὸ διάφορον ἔχει πρὸς τὴν σάρκα » (2).

Quod si mentem convertamus ad internam Christi compositionem, dualitatem naturarum iterum eruemus. Duo praesertim, hac ex parte, sunt momenta, quibus instat Leontius.

Primum in Christo, etiam post unionem, adest simul Divinitas et humanitas; hoc et ipsi concedunt Monophysitae; ergo et duae sunt naturae : « πῶς ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι λέγοντες μετὰ τὴν ἕνωσιν, οὐκ ἐν δύο φύσεσι λέγειν... ἀναγκασθήσονται » (3);

Arguit deinde ex bina Christi consubstantialitate, ad Patrem quippe et ad homines. Christus, aiunt, est simul nobis et Patri consubstantialis; sed nos haud sumus Patri consubstantiales : « οὐδέποτε δὲ ὁ Πατὴρ καὶ ἡμεῖς

(1) « *XXX Cap.* », cap. 22.
(2) Ibid., cap. 25.
(3) Ibid., cap. 4.

ὁμοούσιοι ». Igitur neque id quod est nobis consubstantiale (scil. humanitas), consubstantiale erit ei quod (scil. Divinitas) est consubstantiale Patri : « οὐδὲ τὸ ἡμῖν ἄρα ὁμοούσιον, ὁμοούσιον ἔσται τῷ τοῦ Πατρὸς ὁμοουσίῳ » (1).

Neque insuper LEONTIO deficiunt argumenta logica, quae etiam a theologis scholasticis, et imprimis a S. THOMA, fuere usurpata.

Instat igitur auctor ex discrimine inter pronomina *alius* et *alius* ex una parte, et ex altera *aliud* et *aliud*. Prius indicat hypostases, posterius naturas : « Εἰ τὸ ἄλλος καὶ ἄλλος ἀντωνυμία ὑποστάσεων... τὸ δὲ ἄλλο καὶ ἄλλο ἀντωνυμία φύσεων » κ. τ. λ. Prius item adhibetur in Trinitate, posterius vero semper in Incarnatione. Si autem posterius semper in *oeconomia* adhibetur, igitur semper adsunt naturae : « εἰ δὲ ἀεὶ τὸ δεύτερον ἐπὶ τῆς οἰκονομίας, ἀεὶ ἄρα αἱ φύσεις » (2).

In sequenti capite idem versat argumentum. Movet enim ab hoc principio : « idem est dicere, *aliud* et *aliam naturam :* « Εἰ ταυτόν τὸ ἄλλο καὶ τὸ φύσιν ἄλλην εἰπεῖν » κ. τ. λ. Ast, addit, prius (*aliud*) semper verum est de Divinitate et humanitate Salvatoris. Ergo posterius (*aliam naturam*) de iisdem verum sit oportet : ἀεί ἄρα τὸ δεύτερον ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἀληθεύειν ἀνάγκη » (3).

Accedit *dictio* ipsa. Etenim, etiam post unionem, Christus dicitur *Deus* et *homo*, et utrumque natura : « φύσει δὲ ἀμφότερα ». Porro, si ita res se habet, quomodo ergo, post unionem, Christus non erit *duae naturae?* « πῶς οὐ δύο φύσεις ὁ Χριστὸς καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν » ; quando-

(1) « *XXX Cap.* », cap. 21.
(2) Ibid., cap. 12.
(3) Ibid., cap. 13.

quidem nunquam sunt *idem* natura Deus et homo, neque unquam eadem natura, qua est Deus, est homo : « εἴπερ μηδὲ ταυτόν τῇ φύσει Θεός καὶ ἄνθρωπος, μηδὲ τῇ αὐτῇ φύσει ᾗπερ ἐστι Θεός, ταύτῃ ἐστι καὶ ἄνθρωπος » (1).

B) *Argumenta ad hominem.*

Hoc ex fonte, primum reipsa impingimus manifeste in praxim qua semper usi sunt haeretici. Monophysitae enim, contra quos decertabat Leontius, ex scriptis Patrum expungere curabant quidquid aperte declarabat dualitatem in Christo naturarum. Unde auctor ipsis exprobrat quod nempe unguibus veluti corrodeant quamplurimas Patrum voculas : « λοιπῶν Πατέρων τοιαῦτά (de quibus supra) τινὰ περιονυχίζοντες ἀποξέουσι λεξείδια », cuiusmodi sunt, *suscepit*, *assumpsit*, *induit*, *duplex erat*, et alia id genus, quae differentiam naturarum Christi secundum substantiam unitarum enuntiabant, « τῆς διαφορᾶς ὄντα δηλωτικὰ τῶν οὐσιωδῶς ἡνωμένων φύσεων τοῦ Χριστοῦ » (2).

Dilemmate deinceps premit adversarios, qui dicebant in Christo post unionem esse humanitatem et Divinitatem. At, habet Leontius, si in Christo profitentur humanitatem et Divinitatem post unionem, ergo dicunt et duas naturas : « δύο ἄρα φύσεις... λέγουσιν ». Si autem negant post unionem duas naturas, negant ergo post unionem dicendum esse Christo adesse Divinitatem et humanitatem, « τὸ ἄρα λέγειν θεότητα Χριστοῦ, καὶ ἀνθρωπότητα μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀρνοῦνται » (3).

(1) « *XXX Cap.* », cap. 20.
(2) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1380 A.
(3) « *XXX Cap.* », cap. 4.

Monophysitae retinebant ea, quae coierunt in unionem, non esse confusa : « ἀσύγχυτα ἐν τῇ ἑνώσει τὰ συνελθόντα ». Iam, reponit LEONTIUS, duo sunt quae in unionem coierunt, « δύο δὲ τὰ συνελθόντα ». Quomodo igitur haud agnoscunt duo etiam esse ea, quae in unione non fuere confusa (1)?

Insuper Monophysitae profitebantur *Christum esse ex duabus naturis* « ἐκ δύο φύσεων », quia revera Christus ex unione duarum naturarum resultaverat. Simul autem negabant *eum esse duas naturas,* « δύο δὲ φύσεις οὐ λέγουσιν », quoniam hoc supponebat permanentiam duarum naturarum in Christo. Ex hac duplici assertione insectatur LEONTIUS adversantes. Fatentur, ait, Christum esse idcirco *ex his,* « ἐκ τούτων », non autem *haec*, « οὐχὶ δὲ καὶ ταῦτα », secus enim deberent in Christo agnoscere ea ex quibus ipsum componunt. Quod si in Christo haud adsunt *ea ex quibus* « ἐξ ὧν » constat, vel nullibi sunt, vel in altero sunt, « ἢ οὐδαμοῦ ἢ ἐν ἑτέρῳ ». Si autem sunt in altero, praeter ipsum, dicant profecto quis hic erit (2).

Denuo ex discrimine inter simplicem naturam et compositam ratiocinatur, et rursus, dilemmate utitur. Vel natura simplex et composita non sunt idem, vel sunt idem. Si non sunt idem, cum natura simplex unam indicet naturam, composita, cuiusmodi est natura Christi, non unam duntaxat indicabit naturam. Si autem, secundum eos, simplex et composita idem sunt, dicant tunc quaenam sit differentia naturae compositae Christi, et simplicis Verbi (3).

(1) « *XXX Cap.* », cap. 5.
(2) Ibid., cap. 6.
(3) Ibid., cap. 14.

Eamdem illationem colligit ex differentiis. Differentia dicitur de differentibus. Dicant igitur, scilicet Monophysitae, annon agnoscant naturalem differentiam Divinitatis et humanitatis etiam post unionem? Si vero admittunt post unionem differentiam, necessario dicunt differentiam naturarum, et ideo duas differentes naturas : « φύσεων ἄρα διαφορὰν καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν λέγουσιν » (1).

Provocat tandem ad vim numeri. Monophysitae supponebant numerum importare divisionem. Igitur si duae in Christo sunt naturae, concludebant, consequenter sunt divisae. Sed, reponit LEONTIUS, et vos numeros admittitis indeterminatos. Porro, si res ita se habet, cur tantum numerus determinatus, potissimum *duo* possunt inferre divisionem? Imo numerus *duo* magis ponit duo simul numerata, sed non separata, secundum colligentem numeri huius potentiam, quam numerus *unus* solutus et per seipsum consideratus (2). Confirmat hoc : Si numero separantur numerata, ergo neque dicant duas proprietates (3).

C) *Argumenta ad absurdum.*

Ex plurimis argumentis *ad absurdum* quibus LEONTIUS Monophysitas coarctat, unum alterumve duntaxat, ad rei complementum, tangere sufficiat.

Sicuti iam notavimus, Monophysitae supponebant dualitatem naturarum earum divisionem importare, propterea quod numerus, aiebant, facit divisionem.

(1) « *Cap XXX Cap.* », cap. 23.
(2) Ibid., cap. 29.
(3) Ibid., cap. 10; Cf. etiam cap. 30 et ultimum.

Hoc vero, reponit LEONTIUS, et absurdum est et ordinem logicum subvertit. Nam, nedum numerus facit divisionem, ipsam e contra supponit : « παντὸς ἀριθμοῦ τὸ ποσὸν τῶν πραγμάτων... πεφυκότος » (1).

Unio et unita, addit, utpote relativa, semper sunt simul. Si igitur, unita, peracta unione, desierunt, prouti opinabantur Monophysitae, necessario consequitur et ipsammet unionem desiisse, quod nequit retineri : « εἰ δὲ τὰ ἡνωμένα παύεται, καὶ ἡ ἕνωσις ἅμα παύεται » (2).

IV. — GENUINUS EXPONITUR CONCEPTUS DOCTRINAE DE DUABUS IN CHRISTO NATURIS.

Torquet quasi mentem suam LEONTIUS ut dualitatem stabiliat naturarum in Christo, necnon earum legitimam tueatur interpretationem, et una Monophysitarum explodat cavillationes. Nullum enim hi non movebant lapidem ut germanam deturparent doctrinam ipsamque ceu absurdam exhiberent. Iam in huiusce capitis elucidatione penitius auctoris introspiciemus mentem, et speciatim eius adaequatum cum synodo Chalcedonensi contestabimur consensum.

Alacrius Monophysitae arguebant *ad hominem*. Ex confesso orthodoxorum, excipiebant, homo ipse duabus constat naturis. Atqui Christus integram habet naturam humanam, seu perfectus est homo. Ergo in Christo debemus profiteri tres naturas, duas hominis et unam Verbi.

LEONTIUS eorum reprehendit inscitiam. Homo directe est tantum una natura, nam corpus et anima sunt eius

(1) « *XXX Cap.* », cap. 8.
(2) Ibid., cap. 9.

partes necessariae, et ideo natura hominis secum fert suas partes. Ipsi autem volunt in Christo dicere tres naturas, perinde ac natura hominis non satis sit ad secum inferendas partes, quibus coalescit : « ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς ἀνθρώπου φύσεως συνεπάγεσθαι ἑαυτῇ τὰ μέρη ». Quo igitur sensu, quaerit deinde LEONTIUS, dicendum sit Christum habere duas naturas? Respondet : Quando loquimur de duabus naturis, non eas dicimus de Deo et *carne*, aut de Deo et *anima*, scilicet de una duntaxat hominis parte, secus enim concludendum esset Christum revera tres habere naturas : « Δύο γὰρ φύσεις λέγομεν οὐ Θεοῦ καὶ σάρκος, οὔτε μὴν Θεοῦ καὶ ψυχῆς », verum dicimus duas naturas de Deo et *homine*, nempe de toto, « ἀλλὰ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου ». Nullatenus quidem confundenda est natura hominis cum natura corporis aut animae solius, quandoquidem natura hominis non est proprie natura partis : « Οὐδὲ γὰρ ἐστιν κύριως ἀνθρώπου φύσις ἡ τοῦ μέρους φύσις » (1).

Causa huiusce inscitiae ex eo propterea provenit quod non omnes capiunt nomen Christi, quippe quod simile est nomini artis et scientiae, « τεχνικῷ καὶ ἐπιστημονικῷ προσέοικεν ὀνόματι ». Quapropter, huius generis nominum instar, ii tantum, qui sunt in divinis eruditi, percipiunt veritatem in hoc nomine occultam. Caeterum vel et ipsi adversarii testimonium reddunt veritati, quippe qui tuentur Christum ex duabus constare naturis, « ἐκ δύο μὲν φύσεων », nunquam vero ex tribus, « οὐδὲ ποτέ δὲ αὐτὸν ἐκ τριῶν φύσεων », etsi animam rationalem tribuant carni Christi, « καίπερ ψυχὴν λογικὴν τῇ σαρκί τοῦ Χριστοῦ παρέχουσιν ».

Alioquin, pergit auctor, si in subdivisiones labimur,

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1293 D-1296 A.

non tantum dicendum est Christum tribus coalescere naturis ad mentem Monophysitarum, sed ex plurioribus, quoniam partes naturae humanae, quippe, anima et corpus subdividuntur. Igitur ridiculum est dividere partes, quoniam haud aliquando consistet partitio, sed abibit in infinitum (1).

Quod autem peculiari eminet titulo in quaestione, quam nunc prae manibus versamus, est conformitas mentis Leontii cum ipsius synodi Chalcedonensis doctrina. Iam in definitione synodi Chalcedonensis id speciatim adnotandum est, quod nimirum declaratum fuerit Christum duabus naturis *inconfuse* « ἀσυγχύτως », *immutabiliter* « ἀτρέπτως », *indivise* « ἀδιαιρέτως », *inseparabiliter* « ἀχώριστως » constare.

Norunt profecto omnes, historia Monophysismi edocti, tesseram veluti ac signum fidei orthodoxae fuisse *inconfusionem* naturarum post unionem. Haud quidem negabant Monophysitae, ante unionem fuisse duas naturas, ex quibus coaluit Christus (ἐκ δύο φύσεων); verum negabant permanentiam duarum naturarum post unionem, quoniam putabant ipsas fuisse confusas, commixtas et in unam coivisse. Igitur apposite synodus Chalcedonensis adhibuit vocabulum « ἀσυγχύτως ».

Leontius vero, vestigia calcans synodi Chalcedonensis, strenue adlaborat ut eius formulam, maxime vero *inconfusionem* naturarum, defendat. Audiamus igitur:

Praeprimis aperte profitetur Divinitatem et humanitatem esse partes inconfusas Christi : « Μέρη μέν γὰρ Χριστοῦ ἀσύγχυτα θεότης καὶ ἀνθρωπότης » (2).

Monophysitae ex comparatione hominis falsam infe-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1296 A B C.
(2) Ibid., 1297 B.

rebant illationem. LEONTIUS explicat in quo sensu exemplum hominis elegerit. Exemplum hominis, ait, sumpsimus ad ostendendum Verbum per essentiam uniri corpori ex nobis desumpto, neque unquam cerni sine eo, quamvis etiam in unione servet differentiam, sicut servat et communis homo. In neutro enim, concludit, aspiciuntur confusae proprietates : « Ἐν οὐδετέρῳ γὰρ συγχύθεντα φαίνεται τὰ ἰδιώματα » (1);

Insuper ad indicandam indolem mysteriosam unionis hypostaticae, inter caetera, haec habet : Quomodo enim quae tantopere secundum naturam differunt, et tam longe distant, copulata fuere, et unita non fuerunt confusa? « ... συνέβη καὶ κραθέντα οὐ συγκέχυται »;

In idem recidunt ea in quibus de essentia Christi, formaliter spectati, disputat. Distinguit enim Christum a Verbo, eo quod Christus quid additum supponat, quod non est in Verbo, quodque necessarium est ad eius constitutionem. In eodem loco, idonea cum anima humana comparatione collustrat doctrinam de Christi essentia. Verbum utique est in se perfectum et plenum et suscipiens perfectionem; consimili pacto perfecta est anima quoad definitionem suae essentiae. At neque Verbum est perfectus Christus, licet sit perfectus Deus, non unita ei humanitate : « Ἀλλ' οὐδὲ ὁ Λόγος τέλειος Χριστὸς, μὴ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτῷ συντεταγμένης », neque rursus anima perfectus est homo, etsi perfectam habeat animae essentiam, corpore haud simul cum ea concepto : « οὔτε ἡ ψυχὴ τέλειος ἄνθρωπος, κἂν τελείαν ἔχει οὐσίαν, μὴ τοῦ σώματος αὐτῇ συνεπινοουμένου » (2).

Iam in hocce textu difficile est haud aspicere vesti-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1281 A.
(2) Ibid., 1281 C D.

gium aliquod formulae symboli dicti Athanasiani : « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus ».

In alio loco omnes adversarios simul ferit atque perstringit. Etenim unica quasi consideratione aperte confutat plurimas haereticorum classes. Haudquaquam, ita ipse, curamus eos, qui e contrario nobis stant in ordine ad veritatem, quique voces sibimetipsis accommodatas, uti arbitrantur, proferunt; deinde tradit huiusmodi voces ab adversariis adhibitas. Quasi, subdit, nos huc profiteri *apparentiam* et *fictionem*, « τὴν δόκησιν καὶ τὴν φάντασιαν » (contra Docetas haec conspirant), aut *modum* et *confusionem*, « ἢ τὴν τροπὴν καὶ τὴν σύγχυσιν (allusio ad Eutychianos) μετ' αὐτῶν ἡμᾶς πρεσβεύειν ». Quibusdam interiectis, enarrationem rursus prosequitur, et refert, magno encomio, synodum Chacedonensem. Solius, inquit, impietatis PAULI, MARCELLI, PHOTINI, NESTORII et THEODORI erat sane ita sentire, qui Christum hominem tantum esse definierunt; quod quidem unusquisque privatim, et in communi omnes divini Ecclesiae Magistri concordi sententia exploserunt, et maxime postrema omnium, omniumque synodorum anteactarum sigillum, nempe synodus Chalcedonensis, « ἡ τελευταία σύνοδων σφραγὶς γενομένη κατὰ τὴν Χαλκηδονέον », quae revera funditus evertit vestrum impietatis propugnaculum, « τὸν ὑμέτερον τῆς ἀσεβείας πρόβολον τέλεων καταλέλυκεν », roborans quippe fidei symbolum, « τὸ τε τῆς πίστεως σύμβολον κρατύνας », et maximis laudibus celebravit LEONEM, vestrae impietatis profligatorem, qui surrexit contra dolosam vulpem Eutychetem » (1).

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1380 C-1381 A.

Ex his praeclarissime patet quam animo fuerit LEONTIO cum formula synodi Chalcedonensis consentire quoad modum secundum quem ambae naturae in Christo coexistunt.

V. — REPROBATIO MONOPHYSISMI.

Ex demonstratione atque defensione dualitatis naturarum in IV protractis, iam consequenter habemus Monophysismi confutationem. At eiusmodi demonstratio stricte est indirecta. Cum autem LEONTIUS directis ac magis propriis argumentis Monophysismi errorem concusserit, peropportunum absque dubio erit, pro nostro intento, posterioris huius generis rationes examini submittere, eo vel magis quod, cum auctor omni sub facie argumentum hoc excutiat, haud unquam prolixiora nimiaque erunt, quae ad eius mentem rite manifestandam, congerimus.

Praecipuum criterium, quo utitur LEONTIUS, in ambitu argumentorum directorum, ad Monophysismum impugnandum, depromitur ex proprietatibus diversis, imo oppositis, quae Christo inerant. Obstat heic momentum, quod Medii Aevi Doctores multi fecerunt, quodque hodiedum classicum atque commune est in theologia. Videamus igitur : Una eademque natura, arguit auctor noster, nequit suscipere contraria et opposita : « Οὐδὲ μία φύσις τὸ ἐναντίον καὶ τὸ ἀντικείμενον ἑαυτῇ πέφυκεν ». Ast, ipsis adversariis concedentibus, unica Christi natura contraria passa est, « ἡ δὲ μία κατ' αὐτοὺς Χριστοῦ φύσις τοῦτο πέπονθεν » : nam et ipsi profitentur unicam Christi naturam fuisse simul *visibilem* et *invisibilem*, *mortalem* et *immortalem*, *gene-*

ratam et *ingeneratam*. Igitur non unica erit Christi natura : « οὐκ ἄρα μία ἔσται φύσις » (1).

Supervacaneum reipsa existimamus omnia repetere argumenta, quae Leontius evolvit per « XXX capita », quibus sane nonnisi unum intendit, nimirum stabilire Duophysismum, et convellere Monophysismum. Ad hoc quidem necessarium foret integrum ob oculos ponere opus. Ne autem manca et nimium coarctata evadat demonstratio, opus erit profecto quaedam attingere. Age ergo : praecipua huius scripti argumenta ea sunt quae desumuntur ex defectu identitatis : in Christo humanitas atque Divinitas nequeunt unicam constituere naturam, quoniam non sunt eaedem (2); ex diversitate : Divinitas et humanitas non ad unam reducuntur naturam, quoniam haud sunt eiusdem rationis (3); item Divinitas et humanitas non possunt copulari nisi unione, non autem natura, quoniam sunt diversae essentiae » (4).

Speciatim vero Monophysismum argumento *ad absurdum* refellit. Si conceditis, ait, unam naturam esse Verbum et carnem, cum aliunde profiteamini unicam esse naturam Verbum et Patrem, necessario dabitis unam esse naturam carnem et Patrem : « δώσετε ἄρα μίαν φύσιν εἶναι τῆς σαρκός καὶ τοῦ Πατρός » (5).

Sed, obiiciebant Monophysitae, Patres saepissime utuntur, quando eis sermo de Christo est, comparatione *hominis*, qui nonnisi unicam habet naturam.

Huic exceptioni occurrit Leontius dicendo Patres uti

(1) « *Epilysis* », 1944 A B.
(2) Cap. 1.
(3) Cap. 2.
(4) Cap. 26.
(5) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1293 A. — Cf. etiam « *XXX Cap.* », c. 24.

hominis comparatione, non ad evertendas duas Christi naturas, verum ad ostendendam unitatem eius personae : « οὐ πρὸς ἀναίρεσιν τῶν φύσεων, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἑνότητα τοῦ προσώπου » κ.τ.λ. (1).

Fusius praeterea eamdem evolvit obiectionem. Monophysitae instabant : Nonne cognoscimus unicam hominis naturam, etsi diversa sint (anima et corpus) quae coeunt in unum? Quorsum non ita erit de Christo?

Respondet auctor noster, aequivocationem dissipando. Homo, reponit, dicitur aliquomodo *una* et *duplex* natura. Habet quidem unam naturam propter communicationem speciei : « διὰ τὴν τοῦ εἴδους κοινωνίαν » : nam, cum omnis species unicam constituat naturam, ita profecto erit et de specie humana. Si igitur individuum humanum spectatur sub ratione speciei, potest dici habere unicam naturam. Habere autem dicitur duas naturas, propter immutabilitatem partium : « διὰ τὴν τῶν μερῶν ἀτρεψίαν ». Haec vero nequeunt de Christo verificari. Et sane tres tantum reperimus modos quibus aliquid dicitur una natura, nempe : aut quia est species, « ἢ γὰρ τὸ εἶδος εἶναι » : aut quia participat speciem, « ἢ τὸ τοῦ αὐτοῦ εἴδους μετέχειν » : aut quia ex confusione specierum nova effectum est species ab utraque diversa, « ἢ τὸ κατὰ σύγχυσιν ἐξ ἑτεροειδῶν ἑτεροειδὲς ἀποτέλεσται ». Iam nullo ex his modis Christus dici quit una natura; non eo quod sit species aut speciem participet, quia non datur species Christorum, « οὐ... εἴδους ὄντος Χριστῶν » sicut hominum, « ὥσπερ καὶ ἀνθρώπων ». Neque iterum propter confusionem specierum, secus Christus,

(1) « *XXX Cap.* », cap. 27.

uti iam supra dictum est, neque esset homo, neque Deus, sed quid aliud (1).

Ut tela vitarent LEONTII, ultimum effugium quaerebant Monophysitae in eo quod praedicarent unam naturam Christi, non *simplicem*, sed *compositam*. Ita revera, si fides LEONTIO, et intelligebant et exponebant suam propriam doctrinam. Sicuti enim passim vidimus, Monophysitae *confusionem* aut *commixtionem* naturae divinae et humanae propugnabant. Quo posito, utique, dicebant, peracta unione, non remanet nisi unica natura; sed, cum eiusmodi natura resultet ex confusione seu mixtione duarum aliarum naturarum, erit eapropter composita, non autem simplex. Ultimam hanc exceptionem ad imum usque insectatur LEONTIUS, eiusque exhibet falsitatem. Unde haud inutile erit eius colligere verba : Unica illa natura, quam vos dicitis, ita alloquitur adversarios, confusionem introduxit in identitate naturae compositae, « τὴν σύγχυσιν παρεισήγαγεν ἐν τῷ ταυτῷ τῆς συνθέτου φύσεως », neutiquam alterutrum unitorum post unionem exhibens, « τὸ οὐδ' ὁπότερον τῶν ἡνωμένων μετὰ τὴν ἕνωσιν παραστήσασα ». Oppositam, addit, nos docemus doctrinam, quippe qui servamus et differentiam unitorum, « τὸ διάφορον τῶν ἡνωμένων », et identitatem personae, « καὶ τὸ ταυτὸν τοῦ προσώπου » (2).

Rursus ad *naturam compositam* redit, eiusque ostendit multifariam falsitatem. Iam supra eum audivimus eos confutantem. Dicant nobis, ait, quid intelligunt per naturam compositam? Si per naturam compositam intelligunt, ut nonnunquam Patres, *duplicem*

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1292 A C.
(2) Ibid., 1293 B.

naturam, tunc erit sane inutile addere *unam*, et, idcirco eorum concertatio contra duas naturas supervacanea erit. Si autem, *naturae compositae* nomine, audiunt naturam *singularem*, tunc idem ipsis erit *natura simplex* et *incomposita*, et proin supervacanea erit vox *composita*, quia idem ipsis erit natura simplex et composita. Si autem neutrum ex dictis est, adulterinam igitur et confusam unam naturam ex duabus naturis confingunt (1).

In eodem opere aliud proponit maximi roboris argumentum. Natura simplex, habet, haud est compositae consubstantialis : « τῇ συνθέτῳ φύσει οὐχ ὁμοούσιος ». Si autem simplex est natura Patris, quod nequit in dubium vocari, et composita natura Filii, uti autumant Monophysitae, sequeretur exinde Filium non esse Patri consubstantialem, quod nequit ullatenus probari. Praeterea potestne una eademque composita natura ex toto Patri simul ac nobis esse consubstantialis, cuiusmodi est absque dubio Christus (2)?

Idem interea fulcit per argumentum *ad impossibile*. Quomodo, ita alloquitur *Acephalum*, unam dicis naturam Christi et hanc compositam? Triplex solummodo effingi potest significatio. Nam aut est ipsius compositionis, « ἡ γὰρ τῆς συνθέσεως » : aut ipsorum compositorum, « ἡ τῶν συντεθειμένων » : aut eius quod ex ambobus his resultat, « ἡ τοῦ ἐξ ἀμφοῖν ἀποτελέσματος ». Ast nullum ex his consistere potest. Et sane si per unam naturam Christi compositam intelligis ipsammet com-

(1) « XXX *Cap.* », cap. 15. — Fateri cogimur praeallatum textum maxima perfundi obscuritate, neque obvium esse mentem capere auctoris, necnon vim huiusmodi argumenti quod indolem videtur prae se ferre argumenti *ad absurdum*.

(2) Ibid., cap. 19.

positionem, rationem utique dabis unionis, non autem unitorum : « τὸν τῆς ἑνώσεως ἀποδώσεις λόγον, οὐ τὸν ἑνωθέντων ». Si vero intelligis ipsa composita secundum Christi totalitatem, duae erunt naturae, non autem una, « δύο ἔσονται αὗται (φύσεις), καὶ οὐ μία », quandoquidem neutra in naturam et proprietatem alterius secum compositae mutata est, sed etiam in earum unione servat differentiam : « ἀλλὰ σώζοι κἂν τῇ ἑνώσει τὸ διάφορον τούτων ». Si demum unam Christi naturam compositam vocas id quod ex compositis resultat, non naturam, sed potius hypostasim hoc esse et vocare decet, « οὐ Χριστοῦ φύσιν ἀλλὰ μᾶλλον ὑπόστασιν τοῦτο εἶναί τε καὶ καλεῖν πρεπωδέστατον », quoniam per idem natura Christi nequit esse Patri et matri consubstantialis » (1).

CAPUT SEPTIMUM.

De consectariis unionis hypostaticae.

Tota christologia Leontii, uti ex hactenus disputatis luculentissime constat, ad hanc reducitur propositionem, quae caeteroquin formula est definitionis synodi Chalcedonensis, videlicet, « *Duae naturae in unitate personae inconfusae permanentes* ». Ast Leontius philosophia imbutus Aristotelis, noscebat profecto naturam esse necessarium principium radicemque quarumdam proprietatum, quae ab ipsa sponte profluunt, quemadmodum et personam terminum cuiusdam operationis. Quam ob rem ratio ordinis necnon completa

(1) « *Epilysis* », 1925 D-1928 A.

doctrinae auctoris expositio iure postulat ut et de consectariis unionis hypostaticae iamiam disseramus, eo vel maxime quod denuo in hoc capite praeiacta detegemus Scholasticorum theoriae fundamenta.

I. — De duplici operatione.

Sine ambagibus ullis tradit scriptor Byzantinus doctrinam duarum operationum, seu, aliter declarat expresse dari in Christo : « δύο ἐνέργειας ». Et revera, initio lib. II operis « Adv. Nest. et Eutych. », ubi diserte memorat Severum et Iulianum, *duo initia unius impietatis*, « τῶν δύο τῆς μιᾶς ἀσεβείας ἀρχῶν » (1), perspicuitate, qua nihil melius, doctrinam exponit de duabus operationibus. Haec enim legimus : Quid autem dicis, ita ad suum colloquentem, de iis qui haec (de quibus nempe modo pertractaverat) semper clara et omnibus voce manifesta denuntiabant, ac praeterea operationem *aliam quidem esse carnis*, *aliam* vero *divinitatis?* « ἐνέργειαν τε πρὸς τούτοις ἄλλην μὲν σαρκός, ἑτέραν δὲ θεότητος » (2);

In idem prorsus conspirant ea quae docet de Christi proprietatibus. Cum enim sit perfecte exploratum ex placitis philosophiae Aristotelicae, ubi sunt proprietates diversae, ibi et esse operationes diversas, consequitur Leontium, docendo in Christo esse diversas proprietates, implicite saltem tradere et esse operationes diversas. Porro ipsum docuisse esse in Christo proprietates diversas certum certissimumque est. Enimvero in eodem opere laudat et ipsum Monophysitam

(1) 1317 C.
(2) Ibid., 1320 A B.

Severum eo quod, negata distinctione naturarum, admiserit saltem proprietatum diversitatem. Sit, ait, eius sapientiae, differentiam et proprietates praedicare, non de subiectis rebus (scilic. non de diversis naturis), « τῆς αὐτοῦ δ' ἂν εἴη σοφίας... διαφορὰν καὶ ἰδιότητας κατηγορεῖν, οὐ καθ' ὑποκειμένων πραγμάτων », vel duas naturas confiteri recusantem, non vereri nunc dicere duas proprietates corruptibilis et incorruptibilis, « ἢ δύο παραιτούμενον φύσεις ὁμολογεῖν, δύο λέγειν ἰδιότητας φθαρτοῦ καὶ ἀφθάρτου ». Quod notatu dignum est, paulo antea dixerat Severum a suis impugnatum fuisse, eo quod coactus fuerit profiteri, orthodoxorum instar, differentiam et proprietates : « τοῦ κατὰ τῶν οἰκείων παρεκέρδανε πολέμου, ἀναγκασθεὶς διαφοράν τε καὶ ἰδιότητας ὁμολογῆσαί τε καὶ κηρύξαι » (1).

Similiter palam adprobat Monophysitas, eo quod confiterentur passionem circa corpus, et impassibilitatem circa Verbum : « πάθος περὶ τὸ σῶμα, καὶ ἀπάθειαν περὶ τὸν Λόγον ὁμολογούντων » (2).

Hae sane omnes locutiones atque interpretationes intelligi nequeunt absque dualitate operationum. Quocirca ius habere arbitramur ut propositionem demonstratam retinendi Leontium Byzantinum, cum Patrum edoctum documentis, tum principiis suae philosophiae perductum, doctrinam de duabus in Christo operationibus tuitum esse.

Heic autem, veritatis criseosque causa, quaedam addenda supersunt, quae in id directe conspirant ut nonnullae removeantur aequivocationes. Cum enim, decursu huiusce disputationis, prima vice occurramus in

(1) « *Adv., Nest. et Eutych.* », 1317 D-1320 A.
(2) Ibid., 1320 B.

LEONTIUM apposite de operationibus edisserentem, obvium eius sententiae sensum prodamus necesse est, quandoquidem haud defuere auctores qui, ex levi iudicio, censuerunt LEONTIUM paulisper ad haeresim flectere. Perpendamus igitur quid hoc in negotio sit ceu verum retinendum.

Nestoriani, reiecta unione hypostatica, profitebantur tamen unionem secundum operationem : « ἕνωσιν κατ' ἐνέργειαν ». LEONTIUS e contra, Patrum insistens vestigiis, reprobat et respuit divisionem secundum operationem : « διαίρεσιν κατ' ἐνέργειαν » (1). Quid ergo? Sentiebatne cum Nestorianis ac coetui discipulorum haeresiarchae accensendusne est? Minime gentium. Etenim aliter ac aliter accipitur comma « κατ' ἐνέργειαν », in formula nestoriana et in locutionibus LEONTII. Et sane, in formula nestoriana comma « κατ' ἐνέργειαν » supponit pro *operatione*, ac proin ingerit sensum in Christo naturas divinam et humanam haud fuisse substantialiter unitas, verum duntaxat per communicationem operationum, quae unice fundat unionem accidentalem. E contra autem pro LEONTIO locutio, « κατ' ἐνέργειαν » idem significat ac *actu* seu *actualiter* in terminologia peripatetico-scholastica. Hoc igitur sub respectu, reque ita intellecta, respuit merito auctor noster divisionem secundum operationem, « διαίρεσιν κατ' ἐνέργειαν », quandoquidem in Christo duae naturae non sunt *actu*, seu *realiter*, seu adhuc *hic* et *nunc* separatae, verum sunt in unitate personae copulatae.

Quae caeterum ut melius intelligantur, quibusdam iterum insistendum est adnotationibus. In illis locis

(1) « *Epilysis* », 1932 C, et 1933 B.

in quibus reprobat, « διαίρεσιν κατ' ἐνέργειαν », debellat Leontius contra Severianos qui, Monophysismo addicti, docebant naturas in Christo nonnisi cogitatione distingui, « τὰς φύσεις μόνῃ τῇ ἐπινοίᾳ θεωροῦμεν ». Iam, inter caetera, quibus utitur Leontius ad hoc assertum concutiendum, haec affert : Utique naturae in Christo « ἐνέργειᾳ » existunt; hoc enim indicat ipsas non tantum esse in unione *virtualiter* seu *potentialiter*, bene vero *actu* et *formaliter*. Attamen reiicienda est : « διαίρεσις κατ' ἐνέργειαν », quoniam, si *actu* sunt, non sunt *actu* divisae neque separatae. Quatenus autem, concludit Leontius, intendebant Patres reiicere « διαίρεσιν κατ' ἐνέργειαν », rite statuere haud reprobandam esse locutionem, accipere divisionem naturarum secundum cogitationem, « τὴν τῶν φύσεων διαίρεσιν κατ' ἐπίνοιαν » (1) : siquidem naturae haud sunt *actu*, sed tantum *conceptu mentis* separatae. Naturae quidem sunt distinctae, at non separatae, quoniam non *duas* sed *unam* constituunt personam.

Ex eiusmodi expositione et interpretatione liquido apparet summopere animo fuisse nostro auctori potius thesim defendere scholae Alexandrinae, ad eiusdemque partem magis inclinare, quae, uti exploratissimum est, eo conabatur ut, contra scholam Antiochaenam, unitatem tueretur personalem Christi in duabus naturis; ad hoc autem, nemo diffitetur, erat profecto necessarium ut, dum naturae tanquam distinctae servabantur, simul non ut separatae acciperentur. Huc etiam, adstante opportunitate, animadvertere possumus, ex duabus tendentiis oppositis quae, ceu supra ex consulto

(1) « *Epilysis* », 1932 C, et 1937 C.

probavimus, in duabus scholis, Alexandrina nimirum et Antiochaena serpebant, Christologiam Leontii magis fragrare indolem Alexandrinam quam Antiochaenam.

II. — De communicatione idiomatum.

Per *communicationem idiomatum*, uti norunt atque tradunt theologi, intelligitur illa specialis proprietas qua, ope unionis hypostaticae, operationes et affectiones unius naturae alteri attribuuntur et vicissim. Age autem : Leontius non tantum istiusmodi communicationem idiomatum disertis docet verbis, verum et fundamentum seu rationem eius mirum in modum enuntiat, adeo ut hac ex parte Doctores Medii Aevi antecesserit, et hi, quoad leges, ut aiunt, praedicationis, etsi fusius, nihil tamen rectius quam auctor noster proposuerint. Adeamus igitur documenta :

Postquam contra Monophysitas declaraverit, nos saepe saepius solere totum ex parte et rursus partem ex toto nuncupare, ut e. g. cum Verbum nominamus Filium hominis, ita prosequitur : Sed non propterea hac idiomatum communicatione tollimus propriam alterutrius proprietatis in eodem rationem : « Ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο τῇ ἀντιδόσει τῶν ἰδιωμάτων ἀναιροῦμεν τὸν ἴδιον λόγον τῆς θατέρου ἐν ταυτῷ ἰδιότητος ». Praeclara sane verba. Omnia veluti unico ictu tangit Leontius. Communicatio idiomatum incolumem servat indolem utriusque proprietatis (scilic. divinae et humanae) et hoc in eodem, « ἐν ταυτῷ », quod duplicis putamus esse interpretationis capax, nempe, vel in *sua identitate* pro utraque proprietate, vel in *eodem individuo*.

Haec autem, cum forsitan haud sat esse viderentur

ad plenum conspicuumque rei conceptum, ideo addit : Aliunde haec omnia nobis declarantur per propria nomina, quippe qui contemplamur communicationem idiomatum in una hypostasi : « τὴν μὲν ἀντίδοσιν τῶν ἰδιωμάτων ἐν τῇ μιᾷ ὑποστάσει θεωροῦσι (id est ἡμῖν) », sed simul in communitate [idiomatum nempe] agnoscimus proprietatem in differentia naturarum (1).

Alibi Nestorianis exprobrat quod nullam servent communionem inter naturas, ob nimiam, quam statuunt, divisionem : Nostra, ait, disputatio paulo antea confutavit illos qui non admittunt nisi unionem dignitatis, aut aliam id genus, convincens scilicet eos naturas dividere hypostasibus, « ὑποστάσεσι τὰς φύσεις διαιροῦντας ἐλέγξας », nullamque idcirco inter se habere aut reddere communionem, « καὶ μηδεμίαν κοινωνίαν ἢ ἀντίδοσιν ἐχούσας [scil. φύσεις] ἢ ἀντιδούσας » (2).

Sponte utique fatemur in hoc loco non agi directe de idiomatum communicatione; attamen directe eius statuitur fundamentum. Ratio enim cur possimus proprietates unius naturae alteri tribuere huc venit quia nempe ambae naturae, ob unitatem personae, inter se communicant. Porro de hac mutua naturarum communicatione loquitur LEONTIUS, et insuper idem adhibet vocabulum ac supra, quippe, « ἀντίδοσιν ».

Magis autem explicite atque ex consulto communicationem idiomatum in alio loco proponit. Nonnullos haereticos, quos nullatenus nominat, adprobat eo quod, post declaratam proprietatum dualitatem, ipsas inter se communicare, imo se mutuo penetrare concesserint, « ἀντιπεριχωρεῖν ταύτας δεδώκασι », necnon et de alteru-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1289 C.
(2) Ibid., 1305. C D.

ira natura reciproce praedicari, « καὶ ἀντικατηγορεῖσθαι θατέρου », et hoc propter variantem in alterutro proprietatem : « διὰ τὴν ἐν θατέρῳ ταυτοῦ ἐπαλλάττουσαν ἰδιότητα » (1).

Ex his vides iam aliquo modo conditionem palmarem delineare communicationis idiomatum, quod profundius et accuratius infra explanabit. Quae interea in praefatis verbis statuuntur huc redeunt : ad idiomatum communicationem requiritur nempe ut proprietates unius naturae de altera praedicentur, et insuper ut huiuscemodi proprietates sint diversae, etiam oppositae in duabus naturis, ut *passibilitas* et *impassibilitas*, de quibus paulo ante egerat.

Diversitas proprietatum pro communicatione idiomatum in alio praeclarissimo loco specialem in modum renuntiatur atque inculcatur. In conclusione enim descriptionis unionis ad mentem orthodoxorum, haec profert : Non enim fieret mutua communicatio idiomatum nisi in utroque maneret et in unione proprietas immobilis : « οὐ γὰρ ἀντίδοσις ἂν τῶν ἰδίωμάτων ἐγίνετο, εἰ μὴ ἐν ἑκατέρῳ ἔμεινε, καὶ ἐν τῇ ἑνώσει, ἡ ἰδιότης ἀκίνητος » (2).

Praeiacta expositio adamussim nobis exhibet qua ratione Leontius, per dogma communicationis idiomatum, per mediam simulque tutam incedat viam inter partes extremas, scilicet Nestorianismum et Eutychianismum. Et sane, si haud datur, uti opinabantur Nestoriani, unio hypostatica, hoc uno impossibilis evadit communicatio idiomatum, quoniam ambae naturae non haberent vinculum commune copulationis, cuius ope, proprietates unius in aliam veluti transirent. Altera

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1320 B.
(2) « *Epilysis* », 1941 A.

autem ex parte, si peracta unione hypostatica, ambae naturae, amissa propria identitate, confunduntur, denuo haud datur locus communicationi idiomatum, quoniam, hacce in hypothesi, proprietates utriusque naturae ad omnimodam adtingerent identificationem. Quapropter nonnisi in theoria catholica salva consistere quit communicatio idiomatum.

Iam factum habemus communicationis idiomatum a Leontio expresse affirmatum. Non huc tamen sistit auctor; sed ulterius progreditur, et eiusmodi communicationis formulam indolemque maximo cum rigore exprimit, atque perpulchro vocum delectu adornat. Nescio revera, an theologi subsequioris aetatis quid, in ordine ad hoc argumentum, rectius retulerint, ut confido ex perlectis textibus omnibus persuasum iri. Quam maxime ad hunc scopum idonea sunt, et idcirco digna, quae exscribantur, ea quibus absolvit et claudit opus quod inscribitur *Epilysis*. Aurea revera est conclusio contra Monophysismum. Pluribus discussis, finem imponit : Sic igitur fit in Emmanuele : « οὕτως οὖν ἔχει καὶ ἐπὶ τοῦ 'Εμμανουήλ » : una quidem hypostasis Divinitatis et humanitatis est, « μία μὲν ὑπόστασις θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος », et idcirco quae communia sunt ambabus, haec assumuntur tanquam naturae propria, « καὶ διά τοῦτο κοινὰ επ' αμφοῖν » (1); etsi enim omnia dicantur de eodem, tanquam de uno, non tamen secundum idem, neque tanquam de una natura : « εἰ γὰρ καὶ τοῦ αὐτοῦ εἶναι λέγεται παντά ὡς ἑνὸς, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ αὐτὸ, οὐδὲ ὡς κατὰ μιᾶς

(1) Dubito annon particula negativa οὐ sit ante κοίνα ponenda, etsi non adsit apud Migne; ita ut textus esset hoc modo corrigendus οὐ κοινὰ,... quae non sunt ambabus communia, haec tanquam propria naturae assumuntur.

φύσεως ». Ut idem est visibilis et invisibilis, mortalis et immortalis, tactilis et non tactilis, « οἷον ὁ αὐτὸς ἐστιν ὁρατὸς καὶ ἀόρατος, θνητὸς καὶ ἀθάνατος, ψηλαφητὸς καὶ ἀνέπαφος », verum non secundum idem neque eadem ratione, « οὐ κατὰ αὐτὸ δὲ, οὐδὲ τῷ αὐτῷ λόγῳ ». Quoniam igitur est unus et idem, ideo tanquam de uno omnia dicuntur, « ἐπεὶ οὖν εἷς ἐστι καὶ ὁ αὐτὸς, ὡς καθ' ἑνὸς πάντα λέγεται », et consequenter tanquam de una hypostasi et de una persona, « καὶ διά τοῦτο κατὰ μιᾶς ὑποστάσεως καὶ προσώπου ». Quoniam autem non secundum idem dicuntur, sed secundum aliud et aliud, « ἐπειδὴ δέ οὐ κατὰ τὸ αὐτὸ πάντα λέγεται, ἀλλὰ κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο », idcirco non tanquam de una simplicique dicuntur natura, « διά τοῦτο οὐχ ὡς κατὰ μιᾶς ταῦτα λέγεται καὶ ἁπλῆς φύσεως », verum de diversis et copulatis et servantibus in unione suam naturalem proprietatem, « ἀλλὰ κατὰ διαφόρων καὶ συγκειμένων καὶ σωζουσῶν ἐν τῇ ἑνώσει τὴν φυσικὴν εαυτῶν ἰδιότητα » (1).

Hactenus fuse retulimus praeclara LEONTII verba. Si autem compendio quodam haec colligere licet et ad strictiorem exprimere normam, facile quidem regulas eruemus, quibus regitur idiomatum communicatio, quaeque integrae atque inconcussae a theologis cuiuslibet temporis servatae fuere. Itaque ex testimoniis LEONTII sequentes inferimus leges :

1° Omnes praedicationes de eadem fiunt persona, seu de eodem individuo. Revera de eodem Christo dicitur esse mortalem et immortalem, aeternum et in tempore, passibilem et impassibilem.

2° Praedicationes oppositae non fiunt de ipsis na-

(1) 1945 C D.

turis. Equidem haud dicitur de natura divina ipsam fuisse mortalem, in tempore, passibilem, neque iterum de natura humana fuisse immortalem, aeternam, impassibilem.

3° Hinc eiusmodi proprietates attribuuntur atque praedicationes fiunt non secundum idem, neque eadem ratione, sed secundum diversum diversaque ratione. Christus enim est simul mortalis et immortalis, passibilis et impassibilis, aeternus et in tempore, sed sub diverso respectu, nempe, mortalis, in tempore, passibilis ut homo, immortalis vero, aeternus, impassibilis ut Deus.

4° Demum, ut ipsam Scholasticorum formulam innuamus, huiusmodi praedicationes et attributiones verae atque legitimae sunt in sensu *identico*, minime autem in sensu *formali*. In sensu identico, quoniam illud idem individuum, quod est immortale, aeternum, impassibile, est simul mortale, in tempore, passibile. Non in sensu formali, quoniam forma illa, cui competunt immortalitas, aeternitas, impassibilitas, id est, Divinitas, non est mortalis, in tempore, passibilis, et vicissim de humanitate in ordine inverso. Ex quo consequitur Leontium nobis praebere absolutam de communicatione idomatum doctrinam.

III. — De Filiatione naturali Christi.

Mirabitur forsan quis Leontium iam longe abhinc in sua christologia disserere de filiatione naturali Christi, nondum de hoc dogmate dissensionibus controversiisque exortis atque exagitatis. Attamen auctor noster, etsi amplitudine illa qua par est, haud instante neces-

sitate, propositam quaestionem neutiquam pertractet, nihilominus in suis scriptis elementa tradit, quae sat exhibent illum nullatenus filiationem naturalem Christi ignorasse, neque praepostere intellexisse.

Enimvero totus lib. III operis « Adv. Nestor. » versatur circa confutationem duplicis filiationis Christi simulque demonstrationem unius filiationis. Hoc clarissime patet ex titulo huius lib. quem iam supra retulimus. Ita se habet : Confutatio tertiae impietatis eorum qui volunt agnoscere duos apud Incarnationem filios, « τρίτης ἀσεβείας αὐτῶν ἔλεγχος δύο υἱοὺς εἰδέναι κατὰ τὴν οἰκονομίαν βουλομένων » (1). Utique minime nos fugit aliquantulum infringi huius testimonii vim, quoniam, prouti apposite in secunda parte demonstravimus, opus « Adv. Nest. » inter opera interpolata Leontii adnumerandum est. Neque tamen ei omnis valor praeripitur; siquidem, ex ordinariis critices legibus constat interpolationem cuiusdam operis haud tantam habere extensionem ut integrum librum denuo addat, aut funditus perturbet. Porro in toto lib. III, praeter titulum, Leontius praefatum versat argumentum. Caeterum, his praenotalis, ad opera genuina saltum facimus.

Reiecerat Leontius opinionem eorum, qui admittebant duntaxat unionem dignitatis inter Divinitatem et humanitatem, hoc decretorio argumento, quod scilicet, uti iam vidimus, secus omnes sancti, quippe qui per gratiam sanctificantem divinam sortiti sunt dignitatem, in unum coirent cum substantia divina. Prosequendo deinde suam argumentationem, ita adversarios insectatur : Quomodo igitur, cum omnis creatura rationalis

(1) 1603.

et beata, quaecumque est, sive in Angelis sive in hominibus, plena sit gratia *deificante* et *adoptante* Spiritus Sancti, « τῆς θεοποιοῦ καὶ υἱοποιοῦ τοῦ Πνεύματὸς χάριτος πληρωθείσης », solus natus ex Virgine Deus et *Filius Dei* in Scripura vocatus est, et secundum Scripturam adoratur ab omni rationali creatura? « μόνος ὁ ἐκ Παρθένου πεφηνώς Θεός τε ἐκλήθη καὶ Υἱὸς Θεοῦ ἐν τῷ λόγῳ, καὶ κατὰ τὸν λόγον προσκυνεῖταί τε παρὰ πάσης λογικῆς φύσεως » (1); Iam in promptu est prospicere haec verba dilucide enuntiare filiationem naturalem Christi, quod duplici modo evincitur. Imprimis opponit filiationem nati ex Virgine filiationi Sanctorum, et ostendit esse diversam. Sed audivimus eum declarantem filiationem totius creaturae rationalis esse adoptivam, « υἱοποιοῦ... χάριτος ». Superest igitur filiatio nati ex Virgine sit naturalis. Deinde cum Scriptura asserit natum ex Virgine ab omni rationali natura esse adorandum; porro ille tantum, qui revera est Deus, meretur adorationem, et praeterea debet adorari ab omni natura rationali, ab illa scilicet quam modo declaraverat plenam gratia conferente filiationem adoptivam. Age autem : Si natus ex Virgine non esset nisi Filius adoptivus, non utique deberet ab aliis filiis adoptivis adorari, propterea quod haud esset superioris dignitatis.

His allatis, quibusdam levioris ponderis interiectis, dilemmate deinde adversarios perstringit. Una, inquit, est habitudo naturalis Filii, «Μιᾶς γὰρ οὔσης τῆς φυσικῆς υἱότητος », ex cuius habitudinis participatione omnis habitudo Filii existit, « ἐξ ἧς κατὰ μετοχὴν πᾶσα υἱότης » : ergo necesse est hominem, quem ipsi effingunt, aut na-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1301 A.

turalem habitudinem Filii participare, aut illam, quae fit ex gratia : « ἀνάγκη τὸν ἀποσχεδιασθέντα αὐτοῖς ἄνθρωπον ἢ τῆς φυσικῆς μετέχειν υἱότητος, ἢ τῆς ἐκ χάριτος γινομένης » (1).

Ut hoc argumentum rite percipiatur, animadvertatur oportet LEONTIUM impugnare Nestorianos, qui unionem tantum accidentalem tuebantur atque docebant Christum fuisse hominem Verbum amplectentem ac ferentem. Sed, si ita est, reponit LEONTIUS, debent ipsi concedere hominem hunc, qui Verbum complectitur, aut esse Filium naturalem, aut tantum ex gratia. Porro Nestoriani, remota Filiatione naturali, haud aperte profiteri audebant meram ex gratia Filiationem. Ex dilemmate igitur supra proposito, haud ullum quit superesse dubium de mente nostri auctoris, ipsum scilicet prius retinere membrum, nimirum Filiationem naturalem.

Haud alia invenio apud LEONTIUM testimonia in gratiam filiationis naturalis Christi. Ast, textus allati, etsi pauci numero sint, sufficiunt, puto, ad illius mentem nobis manifestandam simulque constabiliendum ipsum explicite dogma Filiationis naturalis Christi docuisse.

IV. — De divina Virginis Mariae maternitate.

Cum filiatione naturali Christi indivulse connectitur Divina Virginis Mariae Maternitas, seu, hoc ultimum est consectarium quod ex primo necessario consequitur. Si enim Christus est Filius naturalis, cum ipse, utpote unica persona, fuerit a Virgine generatus, obvie inde profluit Mariam Virginem Filium Dei ge-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1301 B.

nuisse, et, eapropter, iure dici debere Matrem Dei « Θεοτόκος ».

Nunc inquiramus quid sentiat LEONTIUS de hoc privilegio ac praerogativa B. Virginis Mariae, et an explicitam de hoc dogmate eius doctrinam reperiamus.

Praeprimis, sicuti de Filiatione naturali adnotavimus, huc quoque in idem incurrimus momentum. Etenim integer lib. IV operis « ADV. NESTOR. » adhibetur ad stabiliendum dogma Maternitatis Divinae B. Virginis Mariae. Titulus enim huiusce libri conspicuus est. Ita exhibetur : « Confutatio quartae impietatis ipsorum [scilic. Nestorianorum], recusantium dicere Sanctam Virginem Deiparam : « τετάρτης αὐτῶν ἀσεβείας ἔλεγχος παραιτουμένων λέγειν Θεοτόκον τὴν ἁγίαν Παρθένον » (1).

Rursus impraesentiarum adnotandum est quod, esto eiusmodi documentum haud aequali polleat valore quam testimonium depromptum ex opere genuino, non est tamen omni robore destitutum, quandoquidem haud est verisimile interpolationem integrum librum deturpasse.

Iam nos ad authentica conferamus monumenta. Atque optime ad hanc rem facientem invenimus in lib. II operis « ADV. NEST. ET EUTYCH. » collationem. In hoc lib. refellitur doctrina Incorrupticolarum. Porro ex hacce collatione, quae se protrahit a col. 1325 C usque ad col. 1329 B, patet ab utraque parte disputante dignosci atque retineri intacta omnia B. Mariae Virginis privilegia, prout rimatius fuere a theologia magis exculta stabilita. Itaque summatim saltem istiusmodi perlustremus collationem.

Primum petit *Orthodoxus* ab *Heterodoxo* an corpus

(1) 1649.

Christi immutata servaverit nostrae naturae signa, excepto peccato : « τῆς ἡμετέρας φύσεως ἀπαραλλάκτως τὰ γνωρίσματα, πλὴν τῆς ἁμαρτίας, διέσωζεν ».

Inquantum, respondet *Heterodoxus*, ad primam ipsius naturae constitutionem, necnon quoad id quod habuerit principia ex Deipara, sorore nostra secundum carnem : « καὶ τὸ τὰς ἀρχὰς ἔχειν ἐκ τῆς Θεοτόκου ἀδελφῆς τε ἡμῶν οὔσης κατὰ τὴν φύσιν ». κ. τ. λ. (1)

Accurate hic notandum est ipsum heterodoxum concedere B. Virgini Mariae titulum « Deiparae » (Θεοτόκου) qui cardo erat controversiae Nestorianos inter et catholicos.

Instat *Orthodoxus*, ob mancam responsi claritatem, et denuo postulat utrum, corpore Virginis mutato alienatoque a propria natura virtute Verbi, Verbum consequenter sibi unitam habuerit nostram naturam aliter se habentem : « ἄλλως ἔχουσαν τὴν ἡμετέραν αὐτῷ φύσιν ἡνῶσθαι λέγεις »; aut e contra, Virgine remanente in proprietatibus naturae, principiis vero primis, scilicet, virginalibus sanguinibus transmutatis, « ἢ τῆς Παρθένου μὲν ἐν τοῖς ἰδιώμασι τῆς φύσεως μεινάσης », κ. τ. λ. carnem incorruptibilem esse generatam.

Respondet *Heterodoxus* quosdam priori opinioni adhaesisse, scilicet corpus Virginis fuisse omnino mutatum, propter nimiam reverentiam Virginis : « πλέον ἢ προσῆκε τὴν Παρθένον ἀποσεμνύνοντες » : verum eosdem non perspexisse absurdum consectarium, quod scilicet, si corpus Virginis mutatum fuisset, haud remansisset ipsa apta ad *pariendum* : « αὐτῆς ἂν τῆς πρὸς τὸ τίκτειν ἐπιτηδειότητος ἀπεστέρητο » (2).

(1) 1325 C.
(2) Ibid., 1325 D-1328 A.

Deinde, quibusdam interpositis in quibus summopere exaltatur actio Sancti Spiritus faecundans ventrem virginalem Mariae, ita instat iterum *Orthodoxus :* Paulatim in utero virginali proficiebat (Christus) lege partus, tanquam ad perfectam infantis maturitatem, ut perspici potest ex Evangelii verbis dicentis : Et impleti sunt dies ut pareret : Ubi circa partum sicut circa conceptum, miraculum admirabile et novum factum est, quod neque partus virginitatem solvit, neque virginitas partum impedivit : « οὔτε τοῦ τόκου τὴν παρθενίαν λύσαντος, οὔτε τῆς παρθενίας ἐμποδὼν τῇ κυοφορίᾳ γενομένης ».

Quid reponit *Heterodoxus?* Divine, ait *Orthodoxo,* loqueris, « θείως λέγεις » (1).

Heterodoxo obiiciente, qui fieri poterat ut naturam non deponeret corruptibilem quod Verbo unitum erat, verbis aureis respondet *Orthodoxus :* Superius, inquit, Virginem Dei Matrem immutabilem mansisse confessus es : « τὴν γὰρ Θεοτόκον (vox technica) Παρθένον ἐν τοῖς πρότερον ἄτρεπτον διαμεῖναι συνωμολόγησας », necnon auctorem temporum non recusasse habitare in utero statuto tempore : « καὶ ὅτι τὸν ὡρισμένον... χρόνον, ἐν τῇ παρθενικῇ μήτρᾳ μορφούμενος ὁ τῶν χρόνων Δημιουργὸς οἰκῆσαι οὐκ ἀπηνήνατο ».

Bis adhuc repetit titulum « Matris ». Quomodo igitur, ait, qui voluit habitare in visceribus matris, « σπλάγχνοις μητρὸς », et tempora partus explevit, et cum non esset praestantior quam nos Virgo, excepta sanctitate, tanquam paenitentia quadam ductus naturam corporis sui respuit, idque a matre, quae eum ge-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1328 C D.

nuit, « τῇ γεννησαμένῃ » per omnia non differret (1)?

Neque minus praeclara sunt atque pretiosa quae alio in loco eiusdem operis scribit Leontius. Edisserens quidem de operibus mirabilibus, quae Dominus noster patravit ad suae divinitatis ostensionem, haec praeterea profert : Super mare ambulans non deprimitur, et in monte transfiguratur : totis quadraginta diebus ieiunus naturalis necessitatis oblitus est : ex *visceribus virginalibus* ortus est salvo et integro flore virginitatis : « παρθενικῶν τε σπλάγχνων ἀνέθηλε, τοῦ τῆς παρθενίας ἄνθους ἀδιαφθόρου συντηρηθέντος » ; haec ad declarandum thesaurum Divinitatis... operatus est » (2).

Praeterea, confutans Nestorianos qui tantum unionem per operationem Spiritus Sancti retinebant, distinguit inter formationem corporis et modum unionis, et priorem attribuit virtuti Spiritus Sancti. Cuius gratia haec habet : Virtus Spiritus Sancti faecunditatem Virgini suppeditavit, « τὸ μὲν γὰρ γόνιμον τῇ Παρθένῳ ἡ τοῦ Πνεύματος δύναμις ἐχορήγησεν », et formatio substantiae corporis ex Spiritu Sancto est secundum operationem eius effectricem constituta, materia autem ex Virgine sumpta est : « ἐν δὲ τῆς Θεοτόκου [iterum vox technica] ἡ ὕλη τῆς οὐσίας προσείληπται ». Deinde, quibusdam interiactis, explodit praecipuum Nestorianismi errorem docentis Verbum advenisse Christo iam concepto, in eoque inhabitasse sicut in templo, ex quo sequebatur profecto Christum fuisse solummodo, « θεοφόρον » (Deum ferentem). Ad quod idcirco addit Leontius : Non enim facto corpore, sic foris advenit, sed seipsum circuminduit et naturam nostram induit :

(1) Ibid., 1329 A.
(2) « *Adversus Nest. et Eutych.* », 1336 C.

« Οὐ γὰρ δὴ γενομένου τοῦ σώματος, οὕτω θύραθεν αὐτὸς ἐπεισῆλθεν, ἀλλ' ἑαυτὸν περιπλάσας, ἀγαλματοφορεῖ τὸ ἡμέτερον » (1).

Vehementissimis quoque verbis reprehendit osores Maternitatis Divinae B. Mariae Virginis. Ita enim depingit apprime THEODORUM Mopsuestenum. Hic exsecrabilis in celeberrima Ecclesia Antiochiae, ut quondam vocabatur, nunc autem Theopolis, explanans Scripturas, ausus est, cum multa alia, tum *vocem* Θεοτόκος vituperare, « ἐτόλμησεν ἄλλα τε πολλά, καὶ τὴν Θεοτόκος δυσφημεῖν φωνήν », ut ita inde totum contra se populum commoveret (2).

Iterum in eum insurgit eiusque acerbissime impietatem proscribit. Haec enim denuo habet. Scripsit (Theodorus) credere et in Dominum Iesum Christum, introducens quartam personam in Sanctam Trinitatem, in duas personas Christum et Deum nostrum dividens; ac vero quidem Deo, quae divina sunt, tribuens; proprio autem Christo, quae hominem decent et humana sunt, et in primis ortum ex Virgine: « τῷ δὲ ἰδίῳ Χριστῷ τὰ ἀνθρωπεπῆ καὶ ἀνθρώπινα, καὶ πρό γε τούτου τὴν ἐκ Παρθένου γέννησιν » (3).

Ex hoc loco compertum est nostrum auctorem reprobare THEODORUM Mopsuestenum eo quod Christo tantum ut homini tribuerit ortum ex Virgine. Contrarium igitur ipse sentit, nimirum ex Virgine ortum esse etiam Deo attribuendum, et hoc apposite, suomet insistendo principio, et THEODORI sententiam respuendo, quoniam Christus nequit dividi in duas per-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1352 D-1353 A.
(2) Ibid., 1364 D.
(3) Ibid., 1368 B.

sonas. Ex quo denuo vides negationem Divinae B. Mariae Virginis maternitatis inniti haeresi de duabus in Christo personis, sicut, ex opposito, veritas eiusdem Divinae Maternitatis sponte eruitur ex unitate personae in Christo.

Hactenus contra THEODORUM Mopsuestenum. Nunc vero se convertit ad NESTORIUM ipsum, quem vocat, eumdem THEODORUM alloquendo, *tuum rivum :* « σὸς ὁλκὸς ». Quid igitur egit NESTORIUS? Solam, respondet auctor noster, prohibuit vocem *Deiparam*, « τὴν Θεοτόκος φωνὴν ἀπηγόρευσε μόνην », artificiose contra initia veritatis insistens, et primo Dei nostri secundum carnem ortui, « πρώτῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν κατὰ σάρκα γεννήσει ». deinceps totam mysterii consecutionem destruens (1).

Teste igitur LEONTIO, fons initiumque omnium haereseon NESTORII fuit negatio ortus Dei secundum carnem; ex qua proinde negatione exortus est ad totam Incarnationis mysterii oeconomiam subvertendam.

Haud ultra progredimur in hanc inquisitionem. Quae supra enim explanavimus, ni fallimur, sat satisque sunt ad ostendendum LEONTIUM revera fuisse, contra Nestorium atque THEODORUM Mopsuestenum, invictum Divinae B. Mariae Virginis Maternitatis assertorem atque defensorem.

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1376 D-1377 A.

CAPUT OCTAVUM.

De formulis christologicis apud Leontium Byzantinum.

I. — De formula « una natura Verbi incarnata ».

Initio huius tertiae partis, ubi delineavimus christologiam Cyrilli Alexandrini, quaedam de praefata formula disputavimus, prout nobis occasionem praebebat eius auctor. At, cum eiusmodi formula maximum, ex omnium confesso, obtinuerit momentum necnon insignes ad se traxerit partes in controversiis christologicis, haud abs ordine erit inquirere et una dignoscere quomodo Leontius eamdem formulam exposuerit, et simul quid de ea senserit atque tradiderit.

Si autem opus eximii est valoris, haud idem dici quit de exitu. Dum enim scripta pervolvimus Leontii, paucissima reipsa comperimus documenta, in quibus instituitur de nostra formula disputatio. Duo duntaxat nobis praesto sunt loca, in quibus Leontius explicitam cyrillianae formulae facit mentionem.

In priore loco demonstrat, adversus Monophysitam Severum, per argumentum indirectum et ad *absurdum*, eiusmodi formulam esse adamussim retinendam et usurpandam. Ut autem sensus et vis huiusce argumenti percipiantur, quaedam declaranda sunt, quae, esto non explicite et diserte, nihilo tamen minus implicite et tacite quasi supponuntur et insinuantur a nostro auctore.

Severus aliique Monophysitae, ad suam propriam

doctrinam conabantur adducere orthodoxos, nempe, synodi Chalcedonensis defensores, quamdam eis exprobrando in suis placitis contradictionem. Contendebant enim et ipsos suis propositionibus Monophysismum tueri. Ad hoc porro evincendum, ita ratiocinabantur Severiani : Nonne et vos [scilicet orthodoxi], profitemini Monophysismum, dum recipitis formulam « Una natura Verbi Incarnata »? Enimvero quicumque formulam hanc usurpat, is Duophysismum hoc ipso respuit, quandoquidem impossibile est simul formulam « Una natura Verbi Incarnata » retinere, et dualitatem naturarum profiteri. Nam duo haec capita sunt ad invicem opposita.

Huic argumento occurrit Leontius ostendendo neutiquam duo allata capita esse inter se contradictoria. Audiamus igitur : Si dicere unam naturam Verbi Incarnatam, contrarium est [ut supponebant Severiani] atque dicere duas naturas unitas, « Εἰ τὸ λέγειν μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, ἐναντίον ἐστὶ τῷ λέγειν δύο ἡνωμένας », e duobus unum verum sit necesse est, nimirum aut carnem hanc non esse naturam, neque naturam carnis habere, « δυοῖν ἀνάγκη θάτερον, ἢ τὴν σάρκα ταύτην μὴ εἶναι φύσιν, μηδὲ σαρκὸς ἔχειν φύσιν », aut, cum alioquin sit, non tamen dici quod est, « ἢ οὖσαν μὴ λέγεσθαι ὅπερ ἐστιν ».

Huc sedulo est advertendum auctorem nullatenus loqui de natura divina. Etenim naturam divinam per unionem cum humana nullum subiisse detrimentum statuebant et ipsi Severiani, verum sentiebant humanam tantum interiisse. Deinde agitur de formulae cyrillianae defensione et legitimitate. Porro formula cyrilliana aperte statuit naturam Divinam. Habet enim

« Unam naturam Verbi Incarnatam » ; nempe est revera natura Verbi, sed quatenus Incarnata.

Iam ulterius penitius sensum introspiciamus duplicis hypotheseos Leontii supra enuntiatae. Quare, reipsa, formula « Una natura Verbi Incarnata » esset contrarium ac dicere « duas naturas unitas »? Hoc nequit esse nisi quatenus caro ipsa, quae exprimitur in formula per vocem « Incarnata », « σεσαρκωμένη », non existeret natura (puto mentem auctoris supplendam esse, addendo, *sed fictitie*) neque haberet carnis naturam. Sed hoc est falsum, quoniam carnem hanc esse natura, non vero alio modo, ac habere naturam carnis, non autem aliam adulterinam naturam, ab omnibus recipitur, etiam ab ipsis Monophysitis, et solummodo fuit reprobatum ac reiectum a Docetis. Praeterea in formulae ipsius enuntiatione hoc exprimitur per vocem « Incarnata » quae idem audit ac « habens carnem, circumfusa carne ».

Neque firmius habet fundamentum secunda hypothesis, quae, uti novimus, huc venit quod nempe, etsi caro habeat naturam carnis, attamen nequit caro dici. Et sane, si revera est caro, non tantum possumus, sed et debemus, veritatis causa, dicere id quod est.

His praevie explanatis, merito auctor concludit suum argumentum : Eligant igitur utram harum impietatum malint, scilicet, aut naturam hanc non esse carnem « ἢ τὴν φύσιν ταύτην σάρκα μὴ εἶναι », aut carnem non dici naturam, « ἢ τὴν σάρκα φύσιν μὴ λέγεσθαι » (1).

Itaque, argumento praefato declarante, Monophysitis Severianis non supererat nisi unum alterumve effu-

(1) « XXX Cap. », cap. 16

gium; aut retinere naturam a Verbo assumptam non esse carnem (Docetae), aut, etsi caro reipsa fuisset assumpta, eam tamen non dici naturam. Nemo autem non videt utrumque esse absurdum.

Conspicuum autem est allatum argumentum esse polemicum. LEONTIUS defendit formulam Cyrillianam contra praeposteram Severianorum interpretationem. Hi enim contendebant neminem posse formulam CYRILLI tueri quin hoc ipso ad Monophysismum deflecteret. LEONTIUS e contra ostendit formulam Cyrillianam, recte intellectam, perfectissime cum Duophysismo consentire.

Vindicata formula contra impugnationes Severianorum, saltum facit auctor ad eius veram interpretationem proponendam. Ad hoc autem explicat in altero loco, quot significationes accipere valeat formula Doctoris Alexandrini, et deinceps determinat quaenam sit, ceu recta, retinenda. Haec autem proponit : Formula « *Una natura Verbi Incarnata* » triplicem habet significationem : « τριπλῆν ἔχει τὴν ἔννοιαν ». Hae autem sunt :

1° Aut accipitur secundum reciprocationem, « κατὰ τὴν ἀντιστροφὴν », in eo nempe sensu quod natura Verbi, etiam quatenus *Incarnata*, ita remanserit perinde ac, sicut ante Incarnationem, denudata fuisset corpore, et carnem non haberet, « γυμνὴ σώματος », sicut e. g. aeris statuae una natura est aeris figurata, « ὥσπερ καὶ τοῦ χαλκοῦ ἀνδρίαντος μία φύσις χαλκοῦ ἐσχηματισμένη ». Aes enim, suscipiendo figuram aliquam, nullimode novam accipit naturam, sed remanet una eademque natura, sicut ante figurae impressionem. Merito LEONTIUS ait hoc dici per *reciprocationem;* siquidem, hoc dato,

una natura ut incarnata, et Incarnata ut sic, una esset.

2° Vel dicitur secundum *essentiae mutationem*, « ἢ κατὰ τροπὴν οὐσίας », quasi ac natura Verbi fuerit transformata in carnem : « οἱονεὶ μία φύσις τοῦ Λόγου ἀποσαρκωθεῖσα ». Hoc in casu, natura ipsius Verbi aliquam passa esset mutationem, ex qua veluti desiisset esse id quod erat; sicut e. g. una natura aquae lapidescens : « ἂν εἴ τις καὶ τοῦ ὕδατος λέγοι μίαν φύσιν ἀπολιθωθεῖσαν ». Aqua enim, quae fit lapis, internam subit mutationem, neque remanet id quod erat, verum evadit quid prorsus diversum.

3° Aut tandem ita intelligitur quatenus natura Verbi, cum sit una, non tantum in seipsa spectatur, sed simul ut carne induta, seu, brevius, quatenus consideramus naturam Verbi carnem assumpsisse : « ἢ ὅτι μία οὖσα ἡ τοῦ Λόγου φύσις, οὐ μόνον καθ'ἑαυτήν, ἀλλὰ μετὰ σαρκός οὖσα θεωρεῖται ». Hoc sub conspectu formula, qua de agitur, non aliud profecto indicat nisi, ad normam sensus traditionalis, naturam Verbi Divini naturam humanam sibi univisse, sicque proinde ambas existere in unitate personae.

His praepositis, examinemus superest quid arbitretur Leontius de hac triplici interpretatione. Duae priores, eius iudicio, sunt falsae et impiae, unde qui eas amplectuntur, hoc uno, ansam praebent ut eorum redarguatur impietas: « αὐτόθεν αὐτοῖς τῆς ἀσεβείας ὁ ἔλεγχος ». Qua vero de causa redarguitur eorum impietas? Quoniam, cum Apollinario et Eutychete subvertunt mysterium Incarnationis : « μετὰ γὰρ Ἀπολλιναρίου καὶ Εὐτυχοῦς ἀποσκευάζονται τὴν οἰκονομίαν ».

Hactenus Leontius. Quomodo vero defensores duarum priorum interpretationum sentiant cum Apolli-

NARIO et EUTYCHETE? Haec ita censeo esse distribuenda ut prior interpretatio APOLLINARII redoleat errorem posterior autem EUTYCHETIS. Etenim APOLLINARIUS episcopus Laodicensis, in christologia partem tuitus est penitus oppositam errori ARII. Hic enim naturam Divinam Christi removebat. APOLLINARIUS e contra naturam humanam in discrimen adducebat. Quamvis revera haud docuisset Verbum nullimode humanam assumpsisse naturam, asserebat tamen non ipsam integram, verum unam tantum partem assumpsisse. Admissa enim PLATONIS trichotomia, censebat Christum revera habuisse corpus humanum, et animam animalem, « ψυχὴν ἄλογον », sed caruisse anima rationali, « ψυχὴ λογικὴ » cuius partes et vicem explebat Ipsum Verbum, « Λόγος ». Imo quidam e discipulis APOLLINARII eo usque progressi sunt ut corpus Christi esse e coelo delapsum contenderent (1). Secunda interpretatio, diximus, ad Eutychianismum accedit. EUTYCHES quidem, Monophysismi parens, sentiebat post unionem ambas naturas in aliam abiisse quae neutra erat unitarum. Hoc autem factum fuit per *mutationem* aut *confusionem*.

Duabus prioribus interpretationibus repulsis, remanet duntaxat, pergit LEONTIUS in sua argumentatione, tertia, quae reipsa recta atque orthodoxa est. Sed, alia ex parte, haec ultima interpretatio minime favet Monophysismo, quinimo Duophysismum statuit atque enuntiat. Equidem, ut iam certiores facti sumus, in hac interpretatione natura Verbi dicitur *Incarnata* quatenus cum natura humana est unita, et ut unita, non vero ut sola spectatur. Haec autem si ita se habeant, quomodo, merito poscit LEONTIUS, quomodo natura

(1) Cf. Kraus., *H. E.*, versio gallic. cit., vol. I, p. 268.

Verbi cum carne, carnique unita, « πῶς ἡ μετὰ σαρκὸς τοῦ Λόγου φύσις », una quoad naturam est cum natura carnis quae est cum Verbo? « μία τῇ φύσει ἐστίν τῇ φύσει τῆς σαρκός τῇ μετὰ τοῦ Λόγου οὔσῃ »; Et re sane vera, si sunt ambae unitae, si una est cum alia, quomodo poterunt esse una eademque natura? Esset quidem contradictio in terminis. Porro hoc apposite declarat formula « *Una natura Verbi Incarnata* ». Dicit enim naturam Divinam Verbi esse tantum unitam carni et esse simul cum carne in unitate personae. Praeposterum igitur esset inferre eas unicam factas esse naturam. Aut, quomodo, subiungit auctor, si non est una secundum naturam, una natura dicetur, « ἢ πῶς μὴ οὖσα μία τῇ φύσει, μία φύσις λεχθήσεται » (1);

Ex analysi huius posterioris textus ad eamdem devenimus conclusionem. Unum enim intendit LEONTIUS, scilicet defendere formulam Cyrillianam contra aggressiones Monophysitarum, simulque demonstrare ipsam nullatenus indolem prae se ferre Monophysismi, neque Monophysismum innuere, quod evincit perpendendo cum *rem* tum *dictionem* ipsam. Dum autem hoc facit, haud negligit una verum formulae sensum explanare, eiusque genuinum conceptum, ad CYRILLI mentem, patefacere. His porro praenotatis, nulli ignotum esse potest LEONTIUM formulam Cyrillianam suae inseruisse doctrinae christologicae, eamque strenue defendisse contra eos qui in ea germen erroris prospiciebant.

II. — DE FORMULA « UNUS DE TRINITATE PASSUS EST CARNE ».

Duplicem sequi possumus viam ad mentem doctri-

(1) « *XXX Cap.* », cap. 17.

namque Leontii dignoscendam circa praefatam formulam. Imprimis enim facile demonstrare quimus eiusmodi formulam concinne cum eius tota christologia connecti, et ab ea profluere ceu consectarium naturale ac necessarium. Deinde uti possumus in eumdem finem documentis positivis, quorum praevie determinabitur valor. His praenotatis, ad opus iam accedamus.

I. — Attento primo capite, liquido apparet Leontium formulae, de qua agitur, fuisse defensorem. Hancce formulam, prouti in prima demonstravimus parte, apposite propugnarunt Monachi Scythopolitani, occasione quaestionis, uti aiunt, *theopaschitae*. Porro in hac eadem parte, in qua conati sumus constabilire Leontium fuisse monachum Scythopolitanum ex identitate doctrinae eiusmodi monachorum et nostri auctoris, potissimum in ordine ad formulam, quam nunc perpendidimus, examen sententiae Leontii ad hanc ultimam remisimus partem. Itaque, vel etiam ex hac parte opus nobis incumbit ostendere nostrum auctorem inter praefatae formulae patronos adnumerandum esse. Hoc autem multiplici evincitur argumento :

1° Primum sequitur ex speciali eius christologiae capite. Nam ex supra disputatis compertum habemus Leontium « communicationem idiomatum » docuisse. Res omnino certa atque inconcussa est pro nostro auctore « ἀντίδοσις τῶν ἰδιωμάτων ». Hoc autem posito, consequitur revera et formulam, quam praeoccupamus, eum uti veram ac legitimam retinuisse. In eodem loco, eius insistendo verbis, leges proposuimus « praedicationis idiomatum ». Diximus quidem eiusmodi praedicationem esse veram in sensu identico, quod huc venit ut una eademque persona sit subiectum cui attribuun-

tur omnes affectiones et proprietates duarum naturarum sub vario varioque respectu. Atque in formula nostra, vox « *unus* » indicat subiectum ipsum seu personam. Igitur, in sensu identico, iuxta legem praedicationis idiomatum, huic personae debent et ipsae passiones attribui. Esto haec unica persona non passa sit quatenus erat « unus de Trinitate », seu sub ratione naturae divinae, passa est tamen quatenus sibi unitam habebat naturam humanam, seu sub ratione humanitatis, quod coeteroquin in formula ipsa clare declaratur per additionem vocis « *carne* ». Habemus enim « *Unus de Trinitate passus est carne* », scilicet passus est sub ratione *carnis*, nempe humanae naturae, non vero sub ratione *deitatis*.

2° Eruitur praeterea ex eius aristotelicis principiis. Leontius enim explicite professus est, « naturam non esse anhypostaticam : Οὐκ ἔστι φύσις ἀνυπόστατος » (1). Haec locutio rite debiteque intellecta hoc sibi vindicat naturam videlicet, utpote quid commune et universale (κοινόν), non existere in se et separata, seu in statu abstractionis, verum semper in individuis existere, eisque veluti consertam, quae quidem sunt entia particularia et concreta (2). Age iam : ex eiusmodi peripatetico principio sequitur ipsius formulae necessitas. Et sane ad rectum rei conceptum simulque ad omne erroris periculum removendum, dicitur : « utique Christus passus est natura humana, minime autem divina ». Ast eiusmodi natura humana, utpote universalis in se, non erat de facto *anhypostatica*, sed *enhypostatica*, seu non existebat in se et separata, sed in aliquo sub-

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1280 A.
(2) *Universalia non existunt nisi in re,* aiebant Doctores Medii Aevi.

iecto. Verum huiusmodi subiectum seu hypostasis in quo existebat humana natura, quae immediate afficiebatur passionibus, erat ipsamet hypostasis Verbi Divini. Cum igitur hypostasis Verbi, secundae personae SS. Trinitatis, esset terminus humanae naturae, inde sequebatur profecto, ut in ipsam refunderentur passiones humanitatis. Sed in formula, per vocem « *unus* » indicatur hypostasis Verbi Divini. Ergo, principia a quibus movebat LEONTIUS, ipsum adducebant ad formulam recipiendam.

II. — Quod autem, nonnisi spontanea eius christologiae erat sequela, firmum habet fundamentum in textibus authenticis, in quibus certo et perspicue supponit LEONTIUS « Deum esse passum ». Et sane, uti supra vidimus, affirmaverat auctor noster NESTORIUM, praevie negato ortu Dei nostri secundum carnem, totam destruxisse Incarnationis consecutionem. Attamen, subdit, captus est (scil. Deus noster, ὁ Θεός ἡμῶν) et summum subivit supplicium : « Ὅμως δ'οὖν ἥλω καὶ τὴν ἐσχάτην ἔτισε δίκην », eiectus ex coetu divino cum impietatibus, quas ex te elaboravit : « ἔξω θείου χοροῦ μετὰ τῶν ἀσεβημάτων ὧν ἐκ σοῦ γεγεώργηκεν ἀπελαθεὶς », atque persolvit poenam tuis dignam doctrinis : « καὶ τὴν ἀξίαν ἀντέκτισε τῶν σῶν μαθήματων ποινὴν » (1).

Haec irrefragabile constituunt argumentum ad demonstrandum LEONTIUM formulam theopaschitam ceu veram habuisse. Summatim enim refert totam Christi passionem, eamdemque attribuit ipsi *Deo*, de quo modo fuerat loquutus.

In eodem opere eadem tradit ac proponit, et eo vel

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1377 A.

maxime quod ipsam Scripturam recitat et exponit. Contestatur quidem orthodoxos, secundum divinas Scripturas traditasque a Patribus speculationes, « κατὰ τὰς θείας Γραφὰς καὶ τὰς πατροπαραδότους θεωρίας », confiteri Dominum gloriae crucifixum esse : Κύριον τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι ὁμολογοῦντες » (1).

Conspicuum est verba recitata mentionem continere textus paulini : Si enim cognovissent (principes huius mundi) nunquam Dominum gloriae crucifixissent : « οὐκ ἂν τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν » (2). Eadem sunt verba. Porro nullum superesse quit dubium Paulum Christum habuisse ut Deum, Filium Dei et secundam SS. Trinitatis personam. Igitur et Leontius praefata verba profert secundum eamdem significationem atque in eumdem finem, et idcirco profitetur personam Divinam tormenta passionis subiisse.

Si excipias opus « Adv. Nestor. » quod infra ex consulto examinabimus, in nullo alio scripto, potissime authentico, disputat Leontius de praefata formula. Hoc autem nil miri excitare debet; nam non erat scopus aliorum operum. Etenim omnia scripta Leontii authentica confutationem Monophysitarum respiciunt, ex quo ipsis nihil intererat de praeiacta formula. Minime autem eadem scripta in hunc conspirant finem ut Nestorianos refellant qui maxime, ob dualitatem in Christo personarum quam defendebant, legitimitatem praedictae formulae infitiabantur. Cum enim in Christo dignoscerent personam humanam a divina distinctam, huic personae humanae omnes eapropter referebant passiones, nullatenus autem personae Divinae, prouti

(1) 1289 C.
(2) I Cor., II, 8.

declaratur in formula « UNUS DE TRINITATE... ». Utique haud me fugit lib. III « ADV. NEST. ET EUTYCH. » totum Nestorianos respicere; at cum istiusmodi liber paululum admodum polemicam evolvat dogmaticam, gravem ingerere viro critico nequit difficultatem, si formulae theopaschitae expositionem ac defensionem non amplectatur.

Alia igitur documenta adeamus, et rursus nonnulla discutiamus. Iam per integrum lib. VII operis « ADVERS. NESTOR. » vindicat LEONTIUS legitimitatem praefatae formulae contra undecim obiectiones adversantium, quae discutiuntur una cum suis accommodatis responsis in totidem capitibus. Quaedam tantum, pro argumenti claritate, critice sunt pertractanda.

Opus « ADV. NEST. », ut in prima stabilivimus parte, inter scripta interpolata computatur. Inde, etsi libenter fateamur non ad aequum ipsum attingere valoris gradum cum scriptis genuinis, nihilominus infitiari nequit ipsum proprio gaudere pondere pro solutione quaestionis exagitatae. Et re sane vera, quemadmodum alio in loco eademque de causa animadvertimus, haud ullatenus est verisimile interpolationem praedefinitos limites hac in re plus quam par est transiliisse, absolutamque evasisse totius operis, totiusque libri instaurationem. Iam ex hoc principio, quod sane regulis severioris criticae consentaneum est, duo sequuntur in nostri propositi favorem, quae singillatim notatu digna sunt :

1° Non est verisimile titulum et prooemium operis adulterationem subiisse. Ast in prooemio operis explicite legimus formulam theopaschitam. In hoc quidem

prooemio enumerat LEONTIUS octo capita dogmatica a Nestorianis negata. Porro septimum caput negatum erat praeterea hoc quod nempe, ait auctor, iniuste annuntiamus [scilicet nos orthodoxi] unum de sancta Trinitate passum esse carne : « Ἕβδομον, ὅτι ἀθέσμως τὸν ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος πεπονθέναι σαρκί κηρύττομεν » (1). Eo vel minus praeterea putandum est prooemium operis fuisse interpolatum, quod manifestam prae se fert analogiam cum prologo operis authentici « ADV. NEST. ET EUTYCH » (2).

2° Praeterea haud difficile est perspicere aliquam similitudinem inter opus « ADV. NEST. » et alia genuina LEONTII scripta. In hunc finem, duplicem duntaxat sufficiat identitatem indicare :

a) Prior consistit in voce « στηλίτευσις ». Haec enim vox inseritur titulo lib. VII operis « ADV. NEST. ». Nam ita se habet titulus : *Confutatio, seu vituperatio, septimae eorum impietatis*, « Ἑβδόμης ἀπιστίας αὐτῶν στηλίτευσις » (3). Ast idem vocabulum, atque in eodem sensu reperitur initio lib. III Operis genuini « ADV. NEST. ET EUTYCH. ». Exorditur enim auctor declarando se tertium adiungere librum duobus prioribus, tum in gratiarum actionem Deo, tum in triumphum de impiis et ad eorum vituperationem : « καὶ τῶν ἀσεβῶν στήλην καὶ θρίαμβον » (4).

b) Altera identitas occurrit in voce « ἔλεγχος ». Nam eiusmodi vox bis reperitur in opere authentico « ADV. NEST. ET EUTYCH. ». Imprimis enim in titulo lib. I huiusce

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1401 A.
(2) 1268 B et seqq.
(3) 1757.
(4) 1357 B.

operis. Ita enim se habet : « τῆς κατὰ τὴν θεότητα τοῦ Κύριου καὶ ἀνθρωπότητα ἐναντίας δοκήσεως Νεστορίου τε καὶ Εὐτυχοῦς ἔλεγχος καὶ ἀνατροπή » (1). Deinde in prologo ad totum opus (2). Eadem est phrasis ac supra; una tantum vox mutatur; nam pro « Κύριου » est « Χριστοῦ ».

Ast eamdem comperimus vocem in *prooemio* operis « Adv. Nest. ». Ait enim auctor : quae ab illis (Nestorianis) in supradictis capitibus (paulo ante enumeratis) dicta sunt contra nos unam hypostasim duasque naturas Christi Domini nostri singulatim confitentes, in virtute ipsius Dei nostri Christi impugnantes, atque evertentes, omne eorum doctrinae systema impiissimum *confutabimus* : « πᾶσαν αυτῶν τὴν τοῦ δογμάτος ὑπόθεσιν ἀσεβεστάτην διελέγξομεν » (3).

Haec cum ita se habeant, iam nullo negotio, imo, omni animi deposita formidine, concludere possumus : Attenta doctrina de idiomatum communicatione, quam Leontius, quemadmodum supra demonstravimus, asserte docuit, ex quo proinde debuit omnia eiusdem retinere consectaria, ratione insuper habita sufficientis authentiae operis « Adv. Nest. », constat auctorem nostrum formulae theopaschitae adstipulatum esse, eamdemque usurpasse ut rectam atque veram.

(1) « *Adv. Nest. et Eutych.* », 1273.
(2) 1269 B.
(3) 1401 A.

INDEX RERUM